DE
NICOL. MACHIAVELLO
LIBER SECVNDVS
SIVE DE TRADITIS ILLIVS
SECVNDVM ARGVMENTA ADVERSARIORVM
DISQVISITIO

CAPVT PRIMVM
De ordine dicendorum atque de ſtatu cauſſae quaedam admonita.

POſteaquam ſuperiore libro ea, quae generatim de Machiavelli vita, ſcriptis, eorumque fortuna, aut ab aliis minus adcurate notata, aut recenter nobis obſeruata ſunt, pro inſtituto ſumus perſecuti: iam nunc tanquam in reum, doctrinae cauſſa in iudicium adductum, aduerſariorum teſtimonia ſingulorum audiemus, & iniquitate dictorum breuiter commonſtrata, cauſſam ita conſtituemus, vt integrum tibi ſit, quicunque haec noſtra legeris, rem quaſi pro iudice arbitrari, & in quamcunque velis partem ſententiam expromere. Meum vt nullum eſt obnoxium, ſed liberale duntaxat pro veritate & iuſtitia ſtudium; ita nec vim adhibere, aut obnixam omnino induſtriam, conciliando iudicio tuo, nec ſubire aliquam ex hac cauſſa inuidiam, neque odii partem velim, quod iam dudum in illam doctrinam incubuit. Eam enim ſi vel ego omni ex parte plane probarem, vel aliis pro-

Connexio & argumentum huius libri.

Excuſatio propter inuidiam cauſſae.

bandam in vniuersum proponerem, ineptus merito haberer: siquidem vllius hominis liber non extat, in quo non aliquid vel desiderandum, vel damnandum, facile possit inueniri. Praesertim politicorum libros iniqua vrget conditio, vt etiam saluberrima in his consilia non sine periculo edi possint, eaque, si parum intellecta, rebus sinistre adhibeantur, in multorum perniciem facile vertant, magnamque auctoribus inuidiam saepe contrahant. Porro, recondita prudentissimorum hominum praecepta, imperiti rerum non intellegunt, & aut detestantur, aut irrident, vt adeo difficillimum sit, scribere de ciuili prudentia ad publicum saporem. Quae res si & Florentinum nostrum post alios multos fefellit, quid est, cur non in eius libris ad eundem atque in aliis modum, comprobemus multa, feramus aliqua. Sane, si Christianorum sacra susque deque eum habere, prouidentiam diuinam negare, fidei religionem ex rebus humanis tollere velle, virtutibus obtrectare, libertatem ad extremum humano generi ereptum ire, quae summa ob inimicis imputantur, meo iudicio deprehendissem; non ita sum natus & institutus, vt ea docentem momento temporis audiam, nedum defendam: sin illa capitalia per meram calumniam, quod & supra in quibusdam ostendimus, obiici visa sunt, neque is tenetur, nisi forte in leuibus quibusdam erratis; nobis candide saltem defensantibus irasci, quae morositas est? Quin nulla ex parte moti, ad caussam, quae alieno fortassis liuore iam nunc quodammodo mea facta est, simul accedimus, &, quo teste teneatur verum, exploramus.

propter ancipitem id genus librorum naturam:

propter innocentiam damnati in plerisque manifestam.

CAPVT II.

Primum Machiauelli crimen, quod sacra Romanorum & mores prae rebus Christianis laudauerit, ex Osorio.

Osorii criminationes auditae,

OSorius supra *libro I. cap. XV.* primo loco nominatus, eiusque sententia paucis fuit explicata: ideo in hac etiam disquisitione prae ceteris audiendus erit. Ille *libro III. de nobilitate Christiana*, post iacta in Machiauellum conuicia, affirmat, eum scribere, *Christianam religionem, illam magnitudinem animi, quae in antiquis eluxerit, funditus sustulisse: Romani Imperii ruinam, laudis & gloriae labem, virtutis etiam militaris interitum, huic sanctissimae summi & aeterni Dei religioni assignandum putare: tum postremo, vt aliqua ex parte vitaret offensionem bonorum, id DIXISSE NON VITIO RELIGIONIS, SED INTERPRETVM, qui illam male intellegerent, accidisse: cum tamen non posset ostendere, quae fuerit illa peruersa interpretatio, quae tantorum malorum caussam praebuerit. Sed vt infixo aculeo honeste posset quacunque ratione discedere, ineptissimam illam medicinam iusti doloris adhibuisse.* Hactenus ille: quem vellem, pro cetera eruditione & iudicio, melius ominatum esse de animo hominis iam dudum, cum illa scriberet Osorius, e vita sublati, neque instituisse ingratiis elicere eam e Machiavelli verbis sententiam, quam illum diligenter esse deprecatum, ne aduersarius quidem dissimulare sustinuit. Quid si affirmasset euidentius, Christi ipsius praeceptis, populum eius non aeque bellicosum extitisse, quam ethnicos: idne impium dictuque nefandum putares? Diceres, puto, pacis auctorem Christum esse, non belli. Et quemadmodum multis item bonis religiosisque viris licuit, vt Christianos putarent bellum gerere non debere, liceret illi negare, bellum ab his fortiter satis administrari. Vna, opinor, caussa fuerit. Verum aliter paulio res habet. Scilicet, non ipsis sacris ille antiquae fortitudinis perniciem & libertatis publicae incuriam, indeque natam imperii Romani ruinam, tribuit, sed quibusdam duntaxat, non omnibus Christianorum institutis, neque iis ab auctore Christo ita traditis, sed falsa patrum interpretatione surrogatis. At ede, id vrget Osorius, quibus potissimum praeceptis id factum fuerit. Facillimum est, opinor, vt Monasticae vitae amorem nimium, & propagatas la e rationes, intellegamus, quae mortales multos ciuilis societatis odio & contemtu impleuerunt, & optima quaeque ingenia, virtutisque capacissima, a republica auerterunt: deinde fortassis, patientiae & abiectionis, siue humilitatis, commendationem peruersam, vt, quas Christus priuatim cuique exercendas prae-

atque eleuatae.

Sententia Machiauelli vindicata,

satisque factum Osorii monito.

Bozius in eam rem advocatus.

præcepit virtutes, eae etiam publice, quod secus esset, vtiles haberentur. Quo eodem colore etiam Thomas Bozius caussam Machiauelli inuitus adiuuit, *de robore bellico cap. X, Aliud est*, inquit, *loqui de publicis iniuriis, aliud de priuatis. Quo circa id prohibebit tantum Christus, & cauebit, ne aduersus nosmet ipsos exerceamus robur, & quicquid habemus fortitudinis: sed omne id impendamus & infundamus in hostes: vires omnes iunctis animis colligamus, & aduersus illos progrediamur.* Recte quidem Bozius; sed non illa Machiauellus negat, qui aliam opinionem eorum, qui etiam in publicis agerent humiliter & remisse, impugnat. Si enim, cui res publica tutanda est, in publicis omnibus consiliis, aduersus hostes aut factiosos, patienter & abiecte agere instituat, libertatis, & ad extremum naturae Deique caussam prodere, opinor, possit. Scilicet sapientissimus sacrorum nostrorum auctor, non tam ciuitates ibi legibus constituere, quam animos suorum diuinis imbuere rebus voluit. Hanc igitur, aut aliquam similem, non iniqui iudices dicant fuisse Machiauelli opinionem, nec erit, quod magnopere damnent. Exposuit autem eandem Machiauellus sententiam, de virtute antiquorum bellica, eiusque interitu, etiam copiosius, aliisque & nouis argumentis ornatam, de Arte bellica libro II. prope finem. Vno verbo: Praecepta rei Christianae male a quibusdam prodita, nimium putauit regno fauere. Inde plurima inter Christianos per Europam regna, quae antiquissimis temporibus non multa fuerint. Regno generari homines nequaquam fortes, sed plerumque imbelles. Eam ciuitatum differentiam in caussa esse, vt antiquissimi populi fortiores haberentur. Similia sæpius docuit in libris de republica, Monarchomachus nimirum: qua de re infra libro III. Attamen Romanos nostris hominibus fortiores haberi, ferendum non est. Idne adeo crimen putemus, & magnum, & Machiauelli solius, si quid prae suis antiqua tempora laudet. Dabo, errorem esse, sed totius ferme humani generis, vt remotiora quaeque maiora nobis ipsum desiderium fingat, quam praesentia. Nolis accusare naturam in sene. Deinde diuidamus, si placet, sententiam. Fortitudinis aliud munus consistit in patiendo, aliud in agendo: etiam hac parte duplex est virtus, alia fortitudo militaris, in bello gerendo; alia ciuilis, in republica administranda, tuendaque fortiter libertate. Hoc vltimum fortassis antiquorum gloriae Machiauellus vindicat, ceteris fortitudinis muneribus nostras res siue aequales esse, siue interdum superiores antiquis, non eodem ille pacto negauit. Purgabunt, puto, crimen obiectum, ipsa auctoris, quae Osorium male habuerunt verba. Extant illa *libro II.* de Republica, *ad priores Titi Liuii libros, cap. II. Cum igitur*, inquit, *cogitarem, vnde illud contingat, quod antiquis istis temporibus homines libertatis multo magis cupidos fuisse videmus, quam nostris: putaui, id quidem non alia caussa fieri, nisi qua minus hodie fortes reperiuntur; nostratis videlicet educationis ab antiqua diuersitate: cuius ratio extat in differentia religionis atque sacrorum. Nostra enim sacra contueri docent veritatem & sapientius viuendi institutum, minuuntque aestimationem fluxarum huius vitae opum atque gloriae: contra ethnici, cum his ipsis ardentissime studerent, inque iis ponerent summum bonum, maiores sine dubio ad agendum spiritus afferebant. Id quod cognosci potest multarum vtriusque temporis rerum comparatione. Ab illa primo sacrificiorum magnificentia veniamus ad nostrorum simplicitatem. Nostra apparatum habent delicatum & accuratum potius, quam splendidum, nec quidquam actionis viuidae animosaeque: illis tum non deerat, vel apparatus, vel cerimoniarum splendor & opulentia; cum etiam adiuncta fuit animosa, ferociaeque & caedis plena, in fundendo victimarum sanguine, actio. Qualis aspectus, cum esset per se terribilis, homines effecit sui similes. Secundum illa sacra summa hominum beatitas, nisi in huius vitae gloria, non ponebatur, quam fere magnorum exercituum duces & principes ciuitatum consequi videbantur. E nostris contra humiles & abiecti homines, atque contemplationi magis, quam praeclaris facinoribus intenti, supremae laudis participes haberi coepti sunt. Itaque nostri homines summum se consequi decus in humilitate & abiectione animi, humanarumque rerum omnium contemtu, crediderunt: illi*

Vana est de virtute Romanorum obiectio.

Distinguuntur eius dictata.

Machiauelli verba copiosius exhibentur Latine versa.

illi magnitudine animi atque inuicto robore corporis, iisque rebus omnibus, quibus quam fortissimi fierent, gaudebant. Quin etiam, si desiderant in te fortitudinem nostrorum praecepta, ad ferendas magis aliorum iniurias, quam ad faciendum fortiter, inuitant. His igitur institutis debilitatus ac fractus esse videtur terrarum orbis, & sceleratissimis quibusque diripiendus quasi datus, quo securius populos sub potestate coerceant, animaduertentes, multitudinem per spem vitae caelestis aptam satis haberi ad quascunque iniurias ferendas, non etiam ad vlciscendum. Vnde, quod hodie velut fato quodam effeminati mortales, & exsuta armis suis diuina putari numina possunt, id sine dubio ex eo natum est, quod intercederent pusilli ac degeneris animi homines, qui illa sacrorum nostrorum praecepta, secundum suam desidiam atque commoditates, non etiam secundum duras virtutis leges, interpretari instituerunt. Illi vero, si cogitassent, quam non vetitum sit per religionem nostram, augere dignitatem patriae & defendere: intellexissent, etiam praeceptum ea lege esse, amare patriam, obseruare, & nos ipsos effingere tales, quales patria ad sui defensionem desiderat. Quare his, quae diximus, institutis, & his falsae interpretationis placitis, effici putandum est, vt hodie non tot ac tantae ciuitates, quantae olim, efflorescant. † Audiuimus iam illum multis adeo impetitum Machiauelli sermonem: quem, vt facilius possit fieri de re iudicium, copiosius exhibui, mea denuo opera Latine versum. Ad eum locum alludit Boccalinus, & laudat occulte Machiauelli acumen, qui erudire subiectos de dominatus artibus voluerit: commento, *Repertum Machiauellum esse, cum oues armare dentibus caninis cuperet.* Vix aliud in Machiauelli libris caput aeque, quam hoc, lubricum mihi videtur; si ea inter se componas, quae a multis obiecta sunt. Dixerit vbique, quod res est, nec ne; id ego vero iam non pugno. Sed ferri tamen omnia, & adiuuari pleraque aequa & benigna interpretatione posse, puto. Omnem sententiae ambitum quam rite capias, vide. Affirmat, nisi fallor, Machiauellus, praestitisse antiquos nostris hominibus fortitudine bellica, & ciuili reipublicae bene gerendae decore, morum potissimum

Illustratus pro euitanda calumnia praecipuus locus.

mum diuersitate. Sacrorum primo cerimonias illos crudeliores caedisque patrandae auidiores effecisse; deinde, opinionem inueteratam, qua summe se beatos vel bellica, vel ciuili laude, putarent, rei gerendae cupidiores. Vtrumque Machiauellus, quod notes, velim, nec laudat, neque Christianorum institutis praefert. Probat potius & veneratur sacra nostra satis religiosa eorum mentione. Post haec a verbis, *Ha dipoi posto il sommo bene nella humilità*, quae sequuntur, ait, maximum rei momentum posteriore tempore addidisse, falsam quorundam e Christianis doctrinam, quae humilitatis peruerso studio, societatisque ciuilis odio, a republica homines auerteret, atque solitudini desidiaeque in contemplatione defixos traderet. Hoc vnum ille damnat, aitque ad extremum, quod res est, atque quod tanto spiritu contendit Osorius, Christianam religionem & fortitudinem siue bellicam, siue ciuilem, pugnare inter se non posse.

† Ne quid desit hac in quaestione, etiam Etrusca auctoris dictione eundem sermonem exhibebimus. *Pensando dunque onde possa nascere, che in quei tempi antichi i popoli fussero piu amatori della libertà, che in questo, credo nasca da quella medesima cagione, che fa hora gli huomini manco forti, la quale credo sia la diuersità della educatione nostra della antica: perche hauendosi la nostra religione mostra la verità & la vera via, ci fa stimare meno l' honore del mondo. Onde i Gentili stimando lo assai, & hauendo posto in quello il sommo bene, erano nelle attioni loro piu feroci. Il che si può considerare da molte loro constitutioni, comminciando si della magnificenza de sacrificii loro alla humilità de nostri, doue è qualche pompa piu delicata che magnifica, ma nessuna attione feroce ò gagliarda. Qui non manciua la pompa, nè la magnificenza delle Ceremonie, ma vi si aggiugneua l' attione del sacrificio pieno di sangue, & di ferocia, amazzandouisi moltitudine d' animali. Il quale aspetto essendo terribile, rendeua gli huomini simili a lui. La religione antica oltre di questo non beatificaua se non gli huomini pieni di mondano gloria, come erano Capitani d' esserciti, & Prencipi di Republiche. La nostra religione hà glorificato piu gli huomini humili, & contemplatiui, che gli attiui. Ha dipoi posto il sommo bene nella humilità, nella abiettione, & nell disprezio delle cose humane. Quell' altra lo poneua nella grandezza dell' animo, nelle forze del corpo,*

corpo, & in tutte l' altre cose atte a fare gli huomini fortissimi. Et se la religione nostra richiede che habbi in te fortezza, vuole che tu sia atto à patire più, che a fare vna cosa forte. Questo modo di viuere adunque pare ch' habbi renduto il mondo debole, & datolo in preda a gli huomini scelerati; i quali sicuramente lo possono maneggiare, veggendo come l' vniuersità de gli huomini, per andare in paradiso pensa piu a sopportare le sue battiture, che à vendicarle. Et benche paia, che si sia effeminato il Mondo & dissarmato il Cielo, nasce piu senza dubbio dalla viltà de gli huomini, che hanno interpretato la nostra religione secondo gli agi (al. l' otio) & non secondo la virtù. Perche se considerassino come ella permette la essaltatione & la diffesa della patria, vedrebbono come ella vuole che noi l' amiamo & honoriamo, & prepariamoci ad esser tali che noi la possiamo difendere. Fanno adunque queste educationi & cosi false interpretationi, che nel mondo non si vede tante Republiche quante si vedeano anticamente.

CAPVT III.

Aduersus Gentilleti actiones prima defensio, de amicorum consiliis a Principe exquirendis.

Gentilleti livor notatus & imperitia rerum Machiauelli.

IAm vbi de vno capite, quod plurimum inuidiae sustinuisse visum est, copiosius dispeximus, ad quinquaginta Innoc. Gentilleti theoremata paucis, quod eius licuerit, respondebimus. Scripsit is, vt supra monuimus, male animatus, atque rerum & vitae Machiauelli, quem confutandum sumserat, parum gnarus. Vtrumque libro eius fidem abrogat. Equidem alterius culpae argumenta alias exposui, de altera sic habet. Cui, qui vnquam quidquam in his rebus viderunt, eximiam saltem tribuunt politicae peritiam, hunc vnus Gentilletus nobis improperat *politices plane rudem & neque naturae, neque industriae bonis instructum, quae ad eam scientiam necessaria essent.* Quis haec ferat in Machiauellum nulla fronte iactitata, cui *non defuisse ingenium & acumen* etiam Posseuinus profitetur. Deinde praeter historiarum fidem negat, Machiauellum *assequi potuisse rerum vsum, qui nihil ferme sua aetate, nisi forte aliquas ciuitatum & minutorum Italiae*

Praefat. ante librum I. pag. 4.

praef. pag. 5.

liae principum rixas, & Florentinorum quorundam ciuium consilia & factiones vidisset: historiarum siue nullam, siue perexiguam notitiam habuisse: iudicii ne vnciam quidem: Florentia exulem: nunquam legatum. Quae omnia monumentis viri inspectis statim confutanda, quando ne speciem quidem habent veri, digna, vbi vno verbo haereamus, non sunt: ceterum, quae expectanda sit in reliquis Gentilleti aequitas, facile declarant. Ante nos iam dudum quidem ea dicta confutauit Conringius, *in praefatione ante librum de Principe pag. n. 15. 16. 17.* Porro Machiavellus, *de Principe cap. XXIII,* vbi tradit, *Vt vitandi sint assentatores*, dixerat inter alia, quae sane salubria sunt, *nisi qui per se sapiat, ei bonum consilium dari non posse; Che vn Prencipe, il quale non sia sauio per se stesso, non può esser consigliato bene.* Quod & verissimum est, nec negatum a Conringio. Istud sibi in principio impugnandum sumsit Innocentius, *Libri I. theoremate primo.* Perperam ibi abusus est iniqua paraphrasi redditis Machiavelli dictis: tamen opposuit, quae non contradicant. Verbum non addo. Ex eodem capite *XXIII.* desumtum est theorema *II.* Negat Machiauellus, ad vitandas assentationes, aulicorumque fallacias, expedire, *vt quis coram Principe, nisi de qua re rogatus sit, sententiam dicat:* verum statim addit, principem tamen frequenter exquirere debere plurimorum in re dubia sententias. *Ma lui deue bene esser largo domandatore.* Id minus placet illi. Abundet, qui velit, sensu suo. Scilicet, neque Gentilletus, neque Conringius, *in animaduersionibus ad hoc dictum*, satis ceperunt dictorum rationem. Aliud enim est, agere ad Principem & deferre, aliud, sententiam dicere: illud plurimis permittendum est, hoc vero non adeo multis. Theorema III. id impugnat, quod Machiauellus scripsisse fertur, *Principem externis hominibus fidere non debere.* Id scilicet magnum crimen est.

De consiliis principum obiecta.

CAPVT IIII.

Altera, de virtutibus falsis, & simulatione Principi commendata.

De simulatione virtutum.

PRocedit secundus Commentariorum de Regno liber, qui multo plura & maiora in Machiauellum opprobria continet. Quod de simulatis virtutibus generatim supra, vbi Bozii Eugubini libros enarraui, monuimus, eius aliqua pars impetitur, theoremate libri secundi primo. *Principi ante omnia religionis pietatisque speciem, si religiosus non sit, custodiendam esse*, traditum est, quanquam non his ipsis verbis, tamen eorum vi & potentia, *in libro de Principe Cap. XVIII. Non è cosa più necessaria a parere d'hauere, che questa vltima qualità*, religionem dicit. Maxima sane, vbi Machiauelli doctrina damnatur, super hoc ipso capite *XVIII*, difficultas est. Verene dixerit ille, *Veras virtutes & fidem ad regnum tenendum inutiles esse, simulatas necessarias:* & si dixerit, an recte: sin male haec constituerit, num ferendus sit liber, in quo ea tradantur. Fateor, fluctuare hic interdum Florentinum nostrum, nec vbique scripsisse, quae consistere cuiusque, ne dicam nostro calculo, possint. Verum quodcunque ibi impeditius habetur, nisi consulto, tanquam tyranno, eam doctrinam ita difficilem oblatam esse credamus, mero errore & inde putabis natum esse, quod non satis adcurate doctrinae moralis rationes ille subduxisset, virtutesque Principum ad opinionem magis hominum, quam ad aeternam naturae rationem, metiretur; ne malo ea consilio virum virtutis cetera & fidei laudatorem perpetuum scripsisse censeas. Triplex enim in hoc capite legendo adhibenda est cautio, atque cogitandum primo, id velle auctorem, & initio capitis dixisse, meliorem omnino habendam esse fidem & integritatem, si haberi possit, quam simulatas virtutes; sin non possit, vtendum quoque falsa specie: quam tamen nec ipsam probat, neque fidem fallendam, si satis aequi sumus, suadet, nisi tum demum, cum ex alia parte a fide recessum fuerit; *Non l'obseruarobbono a te,*

Controuersiae vera ratio.

varia dictorum defensio:

te, tu anchora non l'hai da osseruar a loro. Deinde, ne obliuiscamur, videndum est, toto hoc libro non sane formari bonum virum, sed principem nouum, id est, e Machiauelli sententia, non bonum: ideoque, si huic putat falsas virtutes vtiliores esse veris, idem scilicet sentit, quod nos sentiremus, si latronem instituentes diceremus, huic homini, vt latroni, nullas res pestilentiores esse, quam religionem & fidem. Vide, quae supra notauimus *Libro I. ad Cap. V*, & Scioppium in paedia: quo de libro infra *Cap. VII*, dicemus. Postremo rhetoris potius more rem eo capite explicuit, quam philosophico acumine, & res veras rerumque speciem interdum miscuit, vt illud ipsi, quod nequaquam fit praeter naturam, siue praeter rationem, tamen praeter virtutem fieri, quod fieri non potest, nonnunquam videretur. Verbi causa, eum, qui fidem fefellit prior, astutia superare, non vitio verti debet, sed rationis & virtutis est: contra, pactis se aduersus perfidum defendere velle, stoliditas habetur: rem perniciosam magnitudine poenarum exscindere, non inhumanitas est, sed seueritas & iustitia: auspicia interdum vana & plebeculae superstitiones negligere, non sacrilegium est, & Deorum contemtus, sed sapientia. His tamen saepe factis princeps malus esse, errore plebis, censetur: quo Machiauellum spectasse, credibile est, & docuisse, vt eo sensu interdum malus sit ille, si quando tueri speciem bonitatis minus liceat. Et haec de toto in vniuersum capite XVIII, quod calumniae nimium, nec omnino praeter rem, patuit. Namque quod Gentilletum male habet, de externa religionis specie, *Libr. II. theor. I*, ioculare crimen est. Ait ille noster, *speciem virtutis custodi;* addit igitur, puto, *virtutes ipsas ne habeto.* Id quidem nusquam. quid ergo, si virtutem veram non excludit? Verumtamen dicit, virtutes hominibus non bonis ad male agendum inutiles futuras. Quid si diceret, atramentum ad dealbandum parietem inutile futurum? Scilicet virtutem adeo non damnat, vt etiam vanam virtutis speciem vel improbis vtilissimam dicat. Verum est, vulgus imperitum specie plerumque duci, ideo ad tenendum principatum,

ab argumento totius libri:

ab ancipiti sententiae captu.

Gentilleti in disputando stupor notatus.

Verus dictorum sensus eruitur:

tum, nisi virtutem ipsam, saltem eius imaginem necessariam esse. Tamen, si quaeras, ecqua tandem ratione illa species sit comparanda, responsum, puto, tuleris, vel a Machiauello, *vt talis sis, qualis haberi velis;* sin esse non possis, quaerenda externa quaedam, vt videare saltem. Reprehendendus non est, qui, dum virtutem assequatur, vitium tegit: stultus contra, qui vlcera sua palam iactat. Recte Conringius in animaduersionibus ad haec Machiauelli dicta, *Fatemur & nos*, inquit, *omni etiam illi Principi, qui vere bonus esse non potest, (qualis est, qui malis artibus Principatum occupare, aut inique occupatum seruare nititur) necessarium esse, id operam dare, vt quantum fieri licet, saltem appareat vulgo & imprudentioribus vir bonus esse, (apparebit autem, quo frequentius se virum bonum exhibebit) eo res ipsius stabiliores esse.* Quo redit etiam Conringii iudicio, Aristotelis dictum, qui Principem nouum fingit, ἤτοι καλῶς πρὸς ἀρετὴν, ἢ ἡμίχρηστον ὄντ᾽· Καὶ ἢ πονηρὸν, ἀλλ᾽ ἡμιπόνηρον. *Siue omnino bonum, siue semiprobum: nec improbum, sed semi improbum.* Idem caput doctrinae politicae defendit etiam Amelotus in praefatione ante versionem libri de Principe Gallica.

etiam Conringii testimonio probatus: p. 169.

& quodam Aristotelis dicto. Polit. Libr. V. Cap. XI. in fine.

CAPVT V.

Aliae, de mutatione sacrorum, atque de Italiae statu.

De religionis etiam eius, quae per errorem inualuerit, summa cura.

DIxerat Machiauellus, *de Republ. Libro I. cap. XII, Principes ciuitatum summo studio tueri debere traditam sacrorum rationem: &, si qua adiuuare religionem in animis ciuium posse viderentur, ea, quanquam nec ipsi satis crederent factum, rectius foueri & promouendae religionis caussa propagari*, quam intempestiuo acumine redargui. * Hanc exquisitam religionis curam damnat Gentilletus *theor. II.* Verum si calumniam amouemus, quid est, cur hoc dictum minus placeat, b homine Italo eo tempore exceptum, quo non solum reliquis partibus doctrinae sacrorum tanta lux nondum

dum affulserat, verum etiam quo piae fraudes non ita vulgo in invidia erant: nedum, vt hanc ille principis curam damnet, qui falsa ostenta non sane fingit, sed oblatis non temere contradicit, & vtitur: ne intempestiua sapientia, dum superstitionem oppugnat, religionem veram in animis plebis, qui plerumque minutis rebus capiuntur, conculcet. Si enim vnquam, in sacris rebus certe verum est, quod vulgo dicitur, *nimium philosophari non placet.* Tertium deinde theorema directum est in inuidiam eiusdem sententiae, quam Osorius oppugnauit: ea tantum differentia, vt dicta Machiauelli in deteriorem sensum torqueret, & illa, quae de interpretibus consulto ille dixerat, hic per calumniam omitteret. Caussam diximus modo ante, *cap. II.* hinc repetas, licet. Libro II. de Rep. *cap. V*, de historiarum vicibus, quomodo sacrorum & morum in populis mutatione etiam linguae transfundi in aliam formam, & linguarum interitu amitti rerum gestarum memoria soleat, disputauerat Machiauellus. Etiam rerum Graecarum Romanarumque memoriam omnem, dixerat, opera vel Gregorii M. vel aliorum, ita perituram fuisse, nisi, cum his ipsis linguis Christianorum oracula & leges descriptae extarent, per litterarum earum studia, aboleri monumenta omnia non licuisset. Haec est Machiauelli sententia, nullo quidem liuore deformata. At Gentilletus *theor. IIII.* eam perperam torsit, pugnauitque, nihil ex antiquis monumentis Christianorum feruore abolitum. Idem agit etiam Bozius *in praefatione ante libros de Italiae Statu.* De Gregorio M. Pontifice Romano, num is libros Romanorum combusserit, aliaque aboleuerit monumenta, controuersia sit, licebit. Saltem Machiauello, haec ita tradidisse, fraudi non fuerit. In quinto theoremate, *quo tangitur de Rep. Libri I. cap. XII*, manifesta calumnia inest. Fertur Machiauellus scripsisse, *Posteaquam homines ab Ethnica religione desciuissent, adeo corruptos esse, vt neque Deo neque Diabolo crederent.* Illud vero neque in excitato cap. XII, neque vsquam in eius libris extat. Eo potius capite, summam sacrorum esse debere curam, docetur: per-

De mutatis per Italiam sacris, atque de obliuione rerum antiquarum.

Iniquissima obiectio.

pernicies morum & libertatis apud Romanos sacrorum incuriae, & proditis Oraculorum fraudibus, tribuitur. *Come (gli oracoli) cominciarono dipoi a parlare a modo de potenti, & questa falsità si fu scoperta ne popoli, diuennero gli huomini increduli, & atti a perturbare ogni ordine buono.* Praeterea ibi deflet auctor Italiae calamitates, & corruptam potissimum circa ipsam Romani praesulis sedem Christianae religionis integritatem: quibus rebus effici illas clades, magna libertate docet. Videbimus ipsa viri verba. *Ne si può fare altra maggiore congiettura della declinatione d'essa,* (religione Christiana) *quanto e, vedere, come quei popoli, che sono più vicini alla Chiesa Romana, capo della Religione nostra, hanno meno Religione. Et chi considerasse i fondamenti suoi, & vedesse l'vso presente, quanto è diuerso da quelli, giudicarebbe esser propinquo senza dubbio, ò la rouina, ò il flagello.* Paucis id ante Lutheri disputationem annis scriptum sine dubio fuit, nec falsus Machiauellus opinione sua repertus est. Audiui, qui his eius verbis perlectis, diceret, Mathiae Flacii catalogo testium veritatis Machiauellum ob ea dicta inserendum videri. Ad finem capitis etiam apertius curiae Romanae mores accusat, quibus Italia perierit, soluendaeque cuicunque reipublicae aptos eos esse dicit. Quod & ipsum impugnatur theoremate VI. *Curiam Romanam calamitatum Italiae non esse caussam.* Liberas id genus voces ab his damnari, qui pontificiam in sacris auctoritatem tuentur, nihil quidem mirum: at Gentilletum, e protestantibus hominem, inde impietatis notas exsculpere velle, vbi manifesta extant verae religionis semina, a Sauonarola fortassis ad Machiauellum derivata; id vero indignum esse, & coecum prodere liuorem, agnosces.

Testimonium de impendente sacrorum mutatione ante Lutherum.

* Locus insignis est, & ad dissipandos facilius cauillationes, hic etiam Italice legendus. *Debbono adunque i Prencipi d'vna Republica, o d'vn Regno, i fondamenti d'vna Religione, che essi tengono, mantenergli; & fatto questo, sara loro facile cosa, a mantenere la loro Republica religiosa, & per consequente buona & vnita. Et debbono tutte le cose, che nascono in*

in fauore di quella (come che le giudicassino false) fauorirle & accesciere & tanto più lo debbono fare, quanto più prudenti sono, & quanto più conoscitori delle cose naturali.

CAPVT VI.

De Mose, & de Fortuna, item aliae.

IN libro de Principe *cap. VI, non etiam VIIII, quod adnotauit ad oram libri Gentilletus*, Moses inter instauratores rerum publicarum numeratur, & quaedam ab illo diuinitus gesta, cum aliorum Regum institutis, comparantur. Ex eo impietatis notam sibi quaesiuit Machiauellus, fortassis praeter meritum, non tantum ab Innocentio nostro, & aliis, qui huius dictis essent creduli, verum etiam a Conringio, *in animaduersionibus ad eum locum.* Absit, opinor, dictis inuidia, & re neutram in partem praeiudicata, humaniter absentis & inauditi animum aestimemus: neque haec nimium nocebit criminatio. Varia sunt, quae hic desiderantur a diversis. *Mosen nunquam leges suas sanctas & inuiolabiles praestare potuisse, si ei vis & arma defuissent*, hoc illi dictum vt impium obiicit Gentilletus, *libro II. theor. VII.* Non omnino id dicit noster: en ipsa eius, ex quibus illud desumtum est, verba. *Mose, Ciro, Teseo & Romulo non harebbono possuto fare osseruare lungamente le lor costitutioni, se fussero stati disarmati.* Mosi arma tribuit, viro diuinitus potenti. Scilicet, qui armis validos Israelitas dicit, non negat, puto, diuino praesidio etiam validiores fuisse. Ille sane nusquam dixit, *solis armis* res eas auctas fuisse. At comparat & componit Mosen cum Cyro, Theseo, Romulo, profanis Regibus. An igitur in omnibus composuit, dixitque, Mosen nulla ceteris re praestare? Hoc quidem aduersariorum affirmare nemo ausit. Nimirum in quibusdam similis est Cyro, Theseo, Romulo, Moses, vt reipublicae instaurandae operam dederit; dederunt autem etiam illi: in aliis dissimilis, vt eorum res humanis opibus consiliisque steterint; Mosaicae diuinis. Verum non hac parte

De Mose armis etiam valido.

ipsis Machiauelli verbis eleuatum; & argumentis nostris.

parte composuit Machiauellus, vt diceret, iis solis artibus opibusque Iudaicam rempublicam instauratam, quibus Romana vsa est; sed illa, qua similes sunt, & qua licet componere. Quin etiam, nolle se ad humanae rationis modulum exigere Mosis acta, diligenter cauit, his verbis opido religiosis: *Benche di Moise non si debbe ragionare, essendo stato vn mero essecutore delle cose che gli erano ordinate da Dio, pure merita d'essere ammirato solamente per quella gratia, che lo faceua degno di parlare con Dio; ma considerando* cetera. Quod de animo suo testimonium eius, omisit Gentilletus, & eludere, vt simulatum, instituit Conringius. At quem non cuiusuis criminis reum agere possimus, si sic agimus? Scilicet in hoc etiam impietatis Machiauellicae argumentum inuenire se putat ille, quod, cum de Hierone Syracusano diceret, portentum infanti oblatum, cuius Iustinus meminit, tamquam vanum neglexit, neque in hoc Siculorum rege *occultam aliquam diuinam gratiam, vel ex illo futurae felicitatis stupendo omine*, vt ait Conringius, agnouit. Quale vero hoc est viri eruditi iudicium, vbi te ipsum futilibus superstitiosorum narratiunculis praue credulum prodideris, ibi alterius calumniari acutum de re vanissima silentium? Non longius abest a calumnia quod theor. VII. intentatur, *Mosen perinde Iudaeam occupasse, vt Gotthi & Vandali occidentem inuaserint.* Scilicet in eo conuenire haec Machiauellus ait, vt vtrique sedibus suis iniquitate pulsi, noua regna instituerint, aliis nominibus impositis. At Gentilletus per fallaciam ita accepit, quasi omnia eorum similia, & iustitiam armorum eandem dixisset, quod falsissimum est. Nec acute magis, *theor. VIIII, sacra Romanorum, quae Numa tradiderit*, laudata obiiciuntur. lectoris esto iudicium. Theor. X, *in fine libri II*, vulgata illa criminatio continetur, de Fortuna, *cuius materia extat cap. XXV. de Principe.* Displicuit ea res etiam Conringio aliisque, at, opinor, praeter rationem. Controuersia enim omnis, si dicendum quod res est, in verbis est. Multi sane viri item boni & religiosi, diuinique numinis cultores certi, quam intellegerent prouidentiam diui

Gentilleti iniquitas & Conringii notata:

Item huius in vana credulitas.

Aliud obiectum de Mose.

De Fortuna Machiauelli sententia multis impetita.

diuinam esse, eam recepto vocabulo fortunam dixerunt, non sectam aliquam, quasi fortunae separatum a Dei aeterno consilio numen crederent, sed solum vulgati sermonis vsum secuti, quo, quae caussa in rebus humanis superior sentiretur, modo naturae, modo fortunae nomine, veniret. Quam loquendi consuetudinem, si laqueis illis captare, & inanibus vocabulis noxias quasdam hypotheses subesse, quae illis tribuantur, contendas: quem non impietatis arguere possis, si aliquando, cum Deum deberet, coelum, sidera, Naturam, Fatum, Parcam, Nemesin, denique Fortunam nominauit? In his etiam, quibus frequens fortunae mentio vitio verteretur, est Procopius, quem ideo Alamannus in annotationibus ad anecdota, non erudite minus, quam ex veritate, defendit. Nec sane, quae forte fortuna contingunt, fieri praeter naturam & prouidentiam posse, sibi facile quisquam finxerit. Sapienter itaque M. Antoninus *Libro II. cap. 3.* τὰ τῆς τύχης οὐκ ἄνευ φύσεως ἢ συγκλώσεως καὶ ἐπιπλοκῆς τῶν προνοίᾳ διοικουμένων. Quid igitur obstat, quo minus secundum hanc eandem aequitatem ita de Machiauello sentiamus, vt noluerit, vbi de Fortuna disputat, eo facto posthabere prouidentiam summi numinis, praesertim quando in principio indicati capitis, statim atque fortunam nominauit, Deum simul appellat, probaturus sine dubio, pendere ab eius numine fortunam, *Le cose dal monde gouernate dalla Fortuna & da Dio.* Ne dicam Philosophos antiquissimos, veritate optimi de Deo dogmatis salua, ita habuisse, vt praeter aeternum Dei in rebus maximis fatum, loco suo nunquam mouendum, quaedam etiam casu, siue fortuna, incertis vicibus agi, quaedam humanis consiliis, alternante fato, si haec sibi proposita vellent mortales, salutem, sin alia, perniciem secuturam, sub esse crederent. Qua in sententia etiam Homerum fuisse, quibusdam eius versibus, incertus Philopatridis, inter Luciani dialogos, auctor, comprobat. Et Romani modo rem dicebant euenisse fato, modo casu, modo natura: quod eodem redit. Verumne senserint, an falsum, iam ego non disputo. At inde saltem discimus, Casum & Fortunam non

quod vocabulum potius, quam sententia, vitio vertitur.

ad eum modum autem multos esse locutos:

etiam sensisse ita veteres.

quo sensu

Fortunam dixerint, explicatur,

non in omnibus rebus intellegi sueuisse; sed in quibusdam. Nec vt aliquid, quod reapse existeret, velut fatum: sed tanquam mentis nostrae ideam inanem, quod dialectici vocant *ens rationis*, collectam tum potissimum, cum necopinum rerum factorumque & consiliorum concursum, nullius opera existentem, animaduerterent, ad eum effectum, vt vel fierent, quae nemo prudenter constituisset, vel summo studio quaesita euerterentur. Quem rerum praeter rationem concursum nos quoque hodie fortunam vulgo nominamus, quantumlibet persuasi, nihil euenire, nisi divina prouidentia. Illud etiam vidit San-Euremonius, ni fallor, in suis mixti argumenti sermonibus. At Machiauellus leuitatis accusauit, & vinci consilio posse, & feminae similem fortunam dixit: quae, si ad diuinam prouidentiam redit fortunae vis, aequo proteruius dicta videntur. Scilicet fortunae aliquod numen esse, antiqui etiam philosophi, sed fato subordinatum & inferius multo, alluserunt, atque eadem plane de leuitate fortunae, quae ille, tradiderunt. Si vero etiam nos Christiano sensu, inanem & incertum rerum concursum, possumus intellegere, veluti distinctum & separatum a diuinae voluntatis imperio, atque is siue error, siue perceptio, omnium paene hominum atque aetatum fuisse deprehenditur: quid est, cur eandem, quam in aliis vulgo ferimus opinionem, in Machiauello admodum damnemus? Antiqui enim scriptores summae caussae, siue fato, quam nos prouidentiam dicimus, substituerunt fortunam, & eodem, vt ille, modo, reprimi eam posse, & vinci a fortibus viris, sicut vim fluminis, docuerunt: quorum neutrum de fato tradiderint. Ciceronem audiemus, *ad Fam. libro VIIII. epist. XVI. Ad fortunam*, inquit, *transferam: quam existimo leuem & imbecillem, ab animo firmo & graui, tanquam fluctum a saxo, frangi oportere.* Contra, nemo facile ethnicorum fatum etiam leue & imbecille, firmo animo frangi debere, dixerit. Verum de illo potius,

Alia in re eadem difficultas, argumentis remouenda,

& Ciceronis testimonio.

Ἄγε δέ μ', ὦ Ζεῦ, καὶ σύ γ' ἡ πεπρωμένη
Ὅποι ποθ' ὑμῖν εἰμι διατεταγμένος·
Ὡς ἕψομαί γ' ἄοκνος.

VE

vt est apud Epictetum in Enchiridio *cap. L.* Quod autem ille dixit, fortunam feminam esse, & malle rapi atque cogi, quam flecti sapientia, vrbanitas sine dubio fuit, e prouerbio quodam Italorum nata, quod cum illo conuenit, *Audaces fortuna iuuat.* Qualia si rigido veri examine tentes, iniquus sis, opinor.

Capvt VII.

Simul omnium de Principe praeceptorum adu. Gentilletum defensio, sec. Scioppium & ipsius Mach. sectam.

Argumentum defensionis, secundum tertium Gentill. Librum.

Sigillatim adhuc e primo & altero libro obiecta Gentilleti persecuti sumus, & iniquitatem controuersiae breuiter, vt fieri licuit, demonstrauimus. Iam nunc tertio eius commentario, maior aliquanto vis theorematum *XXXVII*, inspicienda excutiendaque foret, nisi ita res esset comparata, vt omnes illae in vniuersum strophae, vno aliquo certoque argumento, quo aduersarius imperitiae caussarum, in quibus versatur, conuincitur, subuerti possint. Quodsi ad singula respondere vsque perrexissem, & mihi molestiam, & lecturis taedium, praeter necessitatem creaturus, inanem scilicet criminationum saepe speciem, & eadem, quae supra monuimus, sine fine dicenda repetendaque sumsissem. Quae enim Machiauellus nouo principi, si obtinere potestatem velit, facienda esse docuit, ea non negat Gentilletus firmandae conducere potestati, siue tyrannidi; sed negat esse pietati honestatique consentanea, quod & ipsum lubenter agnouit Machiauellus, & subinde testatus est. Verbi caussa, de Rep. libro I. cap. X. cap. XX. XXVI. *Sono questi modi crudelissimi, & nimici d' ogni viuere, non solamente Christiano, ma humano; & debbegli qualunque huomo fuggire, & volere piu tosto viuere priuato, che Re, con tanta rouina degli huomini.* Iam vero illae, quas adeo *laudato capite XXVI* damnat, tenendi principatus rationes, eaedem sunt cum his, quas in libro de Principe docuisse putatur. Idem illud fatetur in libro de Principe *cap. VIII. Non si può chiamare*

Inepta adversariorum argumentatio.

Profitetur, quod illi desiderant, Machiauellus;

amare anchora virtù, amazzare i suoi cittadini, tradire gli amici essere senza fede, senza pietà, senza religione: li quali modi possono fare acquistare imperio, ma non gloria. Ad quae verba recte Conringius in animaduersionum libro, *Prudenter Machiauellus & recte*, inquit, *fatetur, modum illum per crudelitatem seruandi principatus, a virtutis laude declinare. Quo apparet, minus bene disputare contra Machiauellum illos, qui nihil fere aliud in eo reprehendunt, quam, quod praecepta illius saepenumero ab honesto abeant.* Et sane neque ea, quae rite pugnarent aduersus dicta viri, obiiciunt disputatores mali, neque reapse existit iusta inter illos controuersia, & aliena ab argumento librorum eius dicta, per imperitiam desiderant. Minus enim honestam esse, & ab humanitate remotam, omnem per vim potestatem, morum praecepta definiunt, non etiam politicorum libri, in quibus necessaria, nec semper honesta, regendae ciuitatis praesidia, docentur. Quod & illi, ab solo Machiauello factitatum esse, imperite iactarunt, atque inde ex illis doctrinis quandam perniciosissimam, quam Politicorum vocant, sectam exortam fuisse, praeter rem sibi finxerunt: quando Aristotelis liber quintus, & Thomae Aquinatis ad eum commentarius, aliique eorum, qui rectam politicae viam institerunt, libri, eadem illa commendant & suadent, quae in illo tantopere vituperantur. Id nisi fugisset eos, qui aduersus Machiauellum insurrexerunt, etiam atque etiam, puto, considerassent, ne cum eo diuum Thomam suum damnarent, eodemque velut fulmine adurerent. Quam ob rem lepido admodum commento Gaspar Scioppius illorum ridere imperitiam, & Machiauellum Romae defendere, in oculis curiae pontificiae, ausus est; cum non nominato eo, caussam prudenter ageret & erudite, maximeque ancipites illius doctrinas, non alia magis re, quam productis diui Thomae verbis, legentibus adprobaret: & hic quidem est libri titulus, *C.V. Gasparis Scioppii, Caesarei & Regii Consiliarii, Paedia politices, siue suppetiae logicae scriptoribus politicis latae, aduersus ἀπαιδευσίαν & acerbitatem plebeiorum quorundam iudiciorum.*

& confitetur idem Conringius.

Aliena volunt scripsisse Machiauellum.

Aristoteles & Thomas Aquinas, cum illo scilicet damnati.

Scioppii propterea liber laudatus:

Pro-

Probat auctor, politicae doctrinae obiectum proprium esse, ciuitatum formas, non vnam aliquam, tanquam optimam, quae votis tantum & ingenio fingatur, sed omnes, quales plerumque existant, etiam vitiosas; & has maxime, quod sint frequentissimae. Inter eas haberi etiam tyrannidem. Omnium quidem deberi a politico expendi caussas & rationes, quibus fiant, quibus durent, quibus desinant. Velle igitur eos politicum aliena, quod sit vitium docentis, proponere, quicunque rationes tyrannidis traditas criminarentur. Tyrannidem non virtutibus obtineri, non fide, non bonis denique artibus. Quarum si quis commendationem requirat in eo argumento, illum absurda pro rei natura & falsa doceri malle, quam quae vere ad caussam pertineant. Expedire autem, tyrannidem suis atque propriis praeceptis describi, vt vel intensior frangatur, vel remissior minus noceat. Eas artes qui traderet, satis purgare animum, si etiam verbo caueat, moneatque, quam non honesta ea putet, atque si hypothetice vt aiunt, non etiam categorice, praecipiat. Veluti, si quis violentam potestatem obtinere velit, tum ea facienda esse. Quod sane fecit Machiauellus; hoc enim, verbi caussa, eius dictum extat sermonum libro I. cap. XXVI. *Colui che non vuole pigliare quella prima via del bene, quando si voglia mantenere, conuiene, che entri in questo male:* etiam in libro de Principe cap. VIII, *Non si può chiamare ancora virtù, amazzare i suoi cittadini, tradire gli amici, essere senza fede, senza pietà, senza religione; liquali modi possono fare acquistare imperio, ma non gloria.* Ad hunc modum praecepisse non Aristotelem modo, verum etiam Thomam Aquinatem, *tenendae potestatis caussa fidem fallere & peierare; potentes viros atque sapientes interficere; simulatis placere virtutibus;* & id genus alia. Quos viros, si damnandos esse non putes, etiam Machiauellum, qui similia scripserit, atque satis probarit, se abhorrere ab illis rebus, in vniuersum, honestatis specie, commendandis, commodiori & beneuola interpretatione adiuuandum esse; praesertim, quando constet, longe aliud eo argumento, quam

& argumenti rationes explicatae.

quod

quod vulgo putatur, cum de Principe ſcriberet, eum prae oculis habuiſſe. Ita enim, nec omnino male, de commento auctoris, quamuis latenter, indicat Scioppius. *Conatus ſcriptoris eſt*, inquit, *certum aliquem tyrannum, patriae infeſtum, deſcribere, eoque pacto partim populare odium in eum commouere, partim artes eius detegere, quod eſt, tyrannidem eius impedire. Hoc autem periculo nequaquam vacare intellegit. Ad hunc igitur modum de tyrannide diſputat, vt exiſtimari poſſit, tyranni vtilitatibus ſeruire velle, cum ei tuendi imperii rationes praemonſtrat. Alicubi tamen ſibi, quo minus ſententiam ſuam dicat apertius, periculi metum obſtare ſignificat. Hic oportet nos ad id reſpicere, quod opere toto fuit ei propoſitum, & ſpecialis huius intentionis rectitudinem ex generali coniicere.* Non ſane haec negat, atque ipſos huius defenſionis neruos nusquam labefactat, iniquior alioqui Scioppio, & minuta paſſim carpere ſolitus, Conringius, *in animaduerſionibus ad ea verba. Nuſquam* enim *laudatam ab ipſo tyrannidem, & ex aduerſo damnatam* in libris de republica, *traditas item artes euertendae tyrannidis, ſeruandaeque libertatis*, fatetur. Attamen hoc ſubindamnat in Machiauelli de Principe libro, quod vnicuique ea facienda, quae iniuſti principis, ſiue tyranni ſolius eſſent, ſaepius videretur tradidiſſe: atque in eo libro, qui de principe generatim inſcriptus habeatur, non expectari tyrannica, ſed legitimae poteſtatis praecepta: ſaltem vafre factum & valde lubricum Machiauelli commentum eſſe, ſi ſub probabili minusque conueniente titulo, alieni ab eo, quod promiſiſſet, argumenti praecepta ediderit. Hoc equidem concedam viri eruditi iudicio, ambiguum eſſe illius titulum, & præterea malle me aliter inſcriptum, atque aliter paullo conſtituta omni de principatu doctrina, librum prodiiſſe: id denique, ſi ad rem quidquam attinet, profitebor, ſingulari in pretio me putare habendos eſſe Machiauelli hiſtoriarum & diſſertationum ad Liuium, ſiue de republica, libros: illum de Principe non aeque: quem ne legendum quidem facile putem, niſi poſt iſtos de republica. Nihilo minus, ſi nulla re potius

Scioppii de occulto fine, libri de Principe ſcribendi, dicta.

De ancipiti eius titulo aliorum monita,

partim admittuntur,

& partim confutantur,

tius offendimur, quam ancipite libri titulo, atque is ſiue non improbabili aduerſus potentiores commento, mitior inditus eſt, ſiue quacunque alia cauſſa, diuerſum a noſtro ſenſu intellectum obtinet: quid eſt, cur aut conſilio viri, niſi cauto ſatis & prouido, ſaltem haud malo, iraſcamur, aut ſuper vno verbo, cuius varius poteſt eſſe ſenſus, diſceptemus. Nimirum, quem principem appellat ille, ſi tyrannum dixiſſet, nihil quidem haberet, puto, Conringius, quod contra diceret. Quam ob rem, ſimulac ego probatum iam dedero, Principem, praeſertim nouum principem, qui toto illo libro inſtituitur, eundem ſenſu Machiauelli haberi, quem nos tyrannum dicimus, vniuerſam cauſſam, niſi fallor, obtinebo. Dabis hoc in praeſens mihi, quod infra probatum intelleges, e Monarchomachis eſſe Machiauellum: ſecundum quam ſectam, cum ſentiret, duobus omnino modis ciuitatem ſtare, aut legibus, aut mero hominum arbitrio; illam conditionem probam eſſe optandamque, hanc contra vitioſam & fugiendam, crediderit. Propterea in legum imperio putauit ineſſe libertatem & rempublicam, cetera cum virtutibus bona: extra leges, ciuitatis formam probam, aut ciuilia ſocietatis commoda, haberi non poſſe. Eo redit etiam, quod diuerſam, quam non probaret, formam, cum ſumma rerum arbitrio vnius abſolute permittitur, non alio magis, quam Principatus vocabulo, denotaſſe deprehenditur. Quare apparet illam ſectam, quamuis Principatus vocabulo non idem plane intellegat, quod ceteri Tyrannidis; tamen, cum hominis imperium legitimae formae opponat, & libertati, facile eo propendere, vt eas formas, quibus vnus praeeſt, omnes iisdem paene vitiis laborare credat, quibus alii vel tyrannidem, vel paucorum dominatum, vel plebis arbitria, deſcribunt. Scilicet, cum vulgo tyrannis habeatur vnius in multos per vim & iniuriam poteſtas, Principatus contra, permiſſum in volentes imperium; illi, poſtquam quodcunque vnius arbitrium praeter leges contingere, & praeter humanitatis rationes, intellegunt, vt principatum omnem minus circumſcriptum, tanquam contra naturam exiſtentem, in vitioſis putent

Machiauellus ſuo quodam ſenſu vocabulum principis vſurpauit.

Sectae, quae id fieret, hypotheſis explicata.

tent ciuitatibus, amore ſtatus popularis, mouentur. Viciſſim, quibus regni commoda placent, ciuitatibus liberis plerumque iniquiores ſunt. E diuerſo non abſolutum, ſed legitimum illi regnum, ſiue poteſtatis ſecundum leges exercitium, ex illo numero eximunt. Principatus enim, quem vocant, vitium non in eo, quod vnus praeeſt, ſed quod ex arbitrio, poſuerunt. Ideo, qui eſſe rempublicam Turcis, Perſis, aliis populis, qui ad eum modum, herili magis arbitrio reguntur, vt magna familia, quam legibus, ſine dubio negaret Machiauellus; ſi Germaniam noſtram obire debuiſſet, vbique rempublicam, vbique aequam per leges libertatem, & prope nusquam ſuo intellectu principatum, opinor, inueniſſet: quandoquidem res noſtras etiam ſub illis regni vocabulis, perpetuo magis morum atque legum vigore, quam mero imperantium arbitrio, ſtetiſſe ab antiquo, compertum eſt. Optimam igitur ille putauit ciuitatis formam, ſiue popularem, ſiue quaecunque legibus vteretur & libertate: in vitioſis contra *Regnum* habuit, noſtro vocabulo, *abſolutum*, ſuo, *Principatum*. Quale regnum non fere exiſtit, niſi e republica legibus vſa, vel armis, vel dolo potentium, atque, ſi ad vnum deferatur, dum nouum eſt, etiam noſtro ſenſu, reuera tyrannis eſt. Atqui Machiauellus toto de Principe libro nouum tantum Principatum, id eſt, hanc ſolam regni ſpeciem, ſiue ſuo ſenſu tyrannidem, perſecutus eſt. Quem peculiarem ſibi huius vocabuli intellectum ſatis prodit Sermonum ad Liuium libro I. *cap. XVI*, verbis: *Volendo per tanto vn Prencipe guadagnarſi il Popolo, che gli fuſſe nemico, (parlando di quei Prencipi, che ſono diuenuti della loro patria tiranni) dico ch' ei debbe* cetera. Dixerat primo *Principem* abſolute, quo deinde vocabulo *tyrannum* ſe nominare voluiſſe teſtatur. Simile eius dictum eſt *cap. LVIII*, vbi, cum ter quaterque Principe; diximſſet, deinde ſibi eo cauit, quod hoc vocabulo non intellegeret reges, qui certis imperii ſui legibus vterentur. Haec vero illius ſunt verba: *Dico adunque, come di quel difetto, di che accuſano gli ſcrittori la moltitudine, ſe ne poſſono accuſare tutti gli huomini particolarmente,*

Eorum ſenſu pauca intra Europam regna ſunt.

Machiauelli ſententiae vmbilicus.

Res verbis eius adprobatur.

te, & maſſimamente i Prencipi; perche ciaſcuno che non ſia regolato dalle leggi, farebbe quelli medeſimi errori, che la moltitudine ſciolta: Et queſto ſi può conoſcere facilmente, per che de cattiui ſono, & ſono ſtato aſſai Prencipi; & de buoni & de ſaui ne ſono ſtati pochi. Io dico de Prencipi che hanno potuto rompere quel freno, che egli può correggere: tra i quali non ſono quelli Re, che naſceuano in Egitto, quando in quella antichiſſima antichità ſi gouernava quella prouincia con le leggi: ne quelli, che naſceuano in Sparta; ne quelli, che a noſtri tempi naſcono in Francia, il quale Regno è moderato più delle leggi, che alcun altro Regno, di che ne noſtri tempi ſi habbia notitia. Haec ille, e quibus quam recte ſingula dicta fuerint, ego vero iam non quaero. Id ſolum nobis hic vtile eſt, vt intellegamus, quam ſollicite ſuo ſenſu Principatum a legitimo regno diſtinxerit. Eam rem quodammodo vidit etiam Conringius, qui *initio animaduerſionum ad cap. I.* monet, Machiauello *Principatum* eſſe, regnum ad ſolius regentis vtilitatem, ſiue *dominatum:* at non tenuit deinde hoc ex veritate iudicium. Iam ſi dominatus ibi deſcribitur, & nouus; non omnem, qui nobis dicitur, Principatum, ſed iniuſtum & violentum ſolum, ſiue Tyrannidem, deſcribi apparet. In verbis igitur, vt ſolet fieri, omnis verſatur difficultas: rem agnoſcimus. Proinde, quae Machiauello doctrinae in hanc rem capita vitio vertuntur, *Principem aduerſarios ſupprimere; quaeſita coloniis tueri; potentiores atque opulentos ſubuertere; mores victorum emollire ad ignauiam; metui malle quam amari; factionibus materiam praebere; nihil videri coactum facere; virtutes non temere oſtentare velle; animum atque fidem pro re gerere; ſordidis muneribus, quae odium conciliant, abſtinere; ſaeuitiam, ſi quando ea vtendum ſit, ſemel effundere debere;* ea omnia, & ſi qua ſunt in Gentilleti obiectis his ſimilia, ſimul atque de Principe non bono, ſiue, quod res eſt, de tyranno, ſecundum ea quae diximus, intellegas; nec negabis haec illi omnia, ſi tueri tyrannidem velit, facienda eſſe, & inuidia doctrinae conflata tota, opinor, concidet. Ne dicam aliqua in his etiam eſſe, quae vniuerſim proba, per imperitiam trahuntur in illam cauſſam: aliqua, quae non

Et Conringii teſtimonio.

Abſoluuntur igitur falſi criminis illa praecepta.

non ita conceptis verbis extent in Machiauelli libris, quemadmodum ea iratior, quam par est, Gentilletus obiecit: quibus adeo remouendis ipsa exemplaria, vnde desumta illa theoremata feruntur, vel perfunctorie inspecta, apud aequos saltem lectores, sine dubio abunde sufficient. Quamobrem iam nunc licebit ad alios pergere Machiauelli aduersarios.

Caput VIII.

De Caesare Borgia obiectum crimen diluitur, & singularia quaedam ad Caesaris vitam & mores enarrantur.

De Caesare Borgia laudato, Gentilleti & Conringii criminatio.

Ante tamen, quam id fiat, vnum etiam de Caesare Borgia crimen remouendum est. Male audit noster non a Gentilleto solum, sed etiam a Conringio aliisque ideo, quod Caesaris Borgiae exemplum Principi suo imitandum proposuerit. Pessimus, inquiunt, ille Caesar, nec acta eius in exemplum trahenda. At enimuero varia, vt fit, de eo etiam hominum iudicia; nec desunt Borgiae sui laudatores. Nobis in vetustis adeo rebus verum e liquido discernere vix licebit. Vulgo plerumque mali habentur, quorum gesta infelix exitus est consecutus: boni contra, qui ad vitae terminum vsque fortunati. In re praesenti aliter habet. vnus saepe homo aliis fauore nimio candidus creditur, aliis ater odio itidem inconsulto: atque neutra quidem pars mala fide ad eum iudicat modum. Porro, maximi quique viri animum a natura vitiorum atque virtutum commixtione quadam varium sortiuntur: neque ausis negare, quicunque Borgiam praecipue oderis, magnas quasdam huic homini fuisse virtutes. ‡‡ Licuerit igitur, si hoc agitur, Machiauello, de capite sibi amicissimo paullo sensisse benignius, quam alii diuersarum partium prodiderunt. Verum nihil opus est vti hoc defensionis colore. Reuera odit noster malas Caesaris ad quaerendam potestatem artes; & cum odisset, commendauit ei, quem odio dignum, instituendumque

Inualida primum haec reprehensio;

licuit enim meliorem putare, quem multi lacerant: deinde etiam falsa est.

que malis artibus putauerat, tyranno suo. Hunc autem intellegi a prudentibus & rerum peritis sub vocabulo noui Principis voluisse, supra docuimus. Nihil proinde etiam hic mali subest, si tyrannum similem ait Caesari Borgiae. Sed non probasse Machiauellum illius acta, pluribus eius dictis, quae non extant in libro de Principe, satis potest monstrari. Inprimis memoratu digna sunt, quae in Decennali primo magna libertate scripsit, aduersus Caesarem & Alexandrum VI patrem eius; ad hunc modum.

Cum malas artes doceret, exemplo Borgiae Machiauell. vsus est, totamque eius vitam alias detestatus: quod e carminibus Machiauelli probatur.

Malò Valenza, e per hauer riposo
Portato fù fra l' anime beate
Lo spirto di Alessandro glorioso;
Del qual seguiro le sante pedate
Tre sue familiari e care ancelle,
Lussuria, Simonia e crudeltate.

Agnoscis, quam non probet patrem, quamque egregium illi vitiorum famulitium tribuat. Quae nos, vt & illa, quae mox deinde proferentur, liberiore quidem iambo Latine sic vertimus.

Iacuit Valentinus, simul vt quiesceret
Tandem, ad beatas iuit vmbras scilicet
Animus praealti Sexti trux & inquies.
Inhaeret his comitum trias vestigiis
Sanctarum, & huic semper patri fidelium:
Libido turpis, ambitus, crudelitas.

Iam illa paullo post in patrem & filium simul dicta.

Poi che Alessandro fù dal cielo vcciso,
Lo stato del suo Duca di Valenza
In molte parti fù rotto e diuiso.
Baglion, Vitelli, Orsini, e la semenza
Di Monte Feltro in casa lor ne giro,
E Marco prese Rimino e Faenza.
Insino in Roma il Valentin seguiro

E Baglion, e l' Orsin, per dar gli guai,
E delle spoglia lor si riuestiro.
Giulio sol lo nutri di speme assai,
E quel Duca in altrui trouar credette
Quella pietà che non conobbe mai.

Latine.

Rhamnusiae Sextum manus ceciderat,
Et filio quaesita regni portio
Statim inter hostes est diuisa plurimos.
Baleonûm & Vrsinûm & Vitelliûm manus
Monte Feretano quisque suam petit domum;
Ariminum Venetus capit & Fauentiam.
Romam sequuntur hinc Valentinum ilicet
Vrsinus ac Baleonus: vt male vrerent
Ducem, eius exuuiis insignes ambo erant.
Nil profutura spes tamen est a Iulio
Obiecta, & hic, quam reddidit nulli integram,
Sperauit inuenire in altero fidem.

Nihil sane potuit aduersus Caesarem dici grauius, quam quod hic Machiauellus litteris prodidit, *Nunquam ab illo fidem pietatemque cognitam.* Quod, nisi valde detestatus omnem Borgiae vitam, scripturus ille non fuisset. Mox deinde, vt hominem totum versibus Machiauellicis decantatum exhibeamus, haec etiam habentur.

In tanto il Papa, dopò molte offerte
Fe di Furlì e della rocca acquisto,
E Valenza fuggi per vie coperte.
E benche e' fusse da Consaluo visto
Con lieto volto, li pose la soma
Che meritaua vn ribellante a Christo;
E per far ben tanta superbia doma,
In Hispagna mandò prigione e vinto
Chi gia fè tremar voi, e pianger Roma.

Hoc

Hoc postremum est, quod arguit Machiauelli & summum in Caesarem odium, & religiosum pro sacris Christianis animum, vt illum diceret;

- - - *vn ribellante a Christo.*

siquidem non magis liquido apparet de eo, quod *atheos* ille a Iovio dilatus est, quam de altero, quod parum eruditus. Ea nos ita Latine vertimus.

At Pontifex, cum ad vltimum paciscitur,
Lucratus est Rupem cum Liuii foro.
Custodiam Caesar fefellit clanculum.
Qui, sit licet vultu receptus optimo,
Mactatus est per Consaluum tamen malo,
Quo dignus hic, rebellis in Christum, fuit.
Deinde, vt dometur contumax superbia,
Captiuus est & vinctus vsque in Iberiam
Auectus. Olim vester, o ciues metus,
Tuisque, Roma, saeua pestis ossibus.

Non magis igitur in eo Gentilletus, quod Borgiam obiicit Machiauello, audiendus est, quam ceteris rebus, de quibus antea quaesitum est, fuit. Atque de hoc iam satis: ad alios Machiauelli adversarios accedamus.

†† Rei certe militaris peritiam & fortitudinem nemo Borgiae facile negaverit: quam quod eleganter descripsit Hercules Stroza, qui etiam alias viro laudes tribuit, versus memoratu dignissimos adscribemus: *Borgiae laudes Strozae versibus celebratae.*

Non quisquam ingenio melior, non promtior ore,
Non grauior vultu, non vi praestantior, altos
Se celerem super edere equos, iaculumque sudemque
Amento atque agili procul exturbare lacerto,
Altaque libratum per nubila condere discum,
Spartanaeque artes versare dolosque palaestrae,
Et foueam ingentem saltu transmittere, & vndis
Insurgentem amnem volucri superare natatu.
Cretensi de more alter non certius arcum

Ten-

Tendit, & in gyrum Baleares torquet habenas,
Sulfureoque graues longe iacit impete glandes.
Artibus & diuersa nouis nemo acrius arma
Tractat, & hostiles fallit magis impiger ictus.
Quis fossam & vallum, tormentaque doctius aptat,
Seu velit obsessas vrbes, seu castra tueri?
Vique animoque potest, & solo nomine tantum,
Vt, seu pugnae acies campis committat apertis,
Auia seu per iniqua truci valletur ab hoste,
Non agat auspiciis alius melioribus agmen.

CAPVT VIIII.

De Antonii Posseuini edito aduersus Machiauellum iudicio.

Posseuini in damnando Machiauello neglegentia.

ANtonius quidem Posseuinus, in suo de libris Machiauelli iudicio, non alium ducem, quam de quo modo diximus, Gentilletum, per omnia secutus est. at in eo quam foede sit lapsus, cum ne visos quidem, nedum lectos illius libros, damnare institueret, atque vnius hominis, neque sibi probati, testimonio vteretur, adversus inauditi cuiusdam existimationem, palam est. nimis enim manifestarium iniquitatis & calumniae reum peregit Hermannus Conringius. Quam ob rem, cum capita huius censurae ad verbum paene repetita sint ex illis de regno commentariis, si eorum, quae paullo ante ad singula Gentilleti theoremata monuimus, meminisse velis, defungi paucis poterimus. Rogat Posseuinus, *An vero poterat consilium dari pestilentius, quam cum Principi suadet Machiauellus, vt spreto alieno consilio suae ipsius prudentiae innitatur?* presse nimirum Gentilletum secutus ducem, hoc enim libri de regno primi theorema primum est. de re diximus supra *cap. III. Pietatem & religionem, quam etiam non habeat, prae se ferat? de regno libro II. theor. I.* Etiam virtutis speciem profuturam putat Machiauellus; quanto magis virtutem ipsam? dixi *cap. IIII. Si quid in religione falsum sit, comprobet ac firmet*, cetera. Dixi *cap. V. Reli-*

Eius obiecta percensita & paucis elevata.

Religionem ethnicam praeferat Christianae? per calumniam ex his, quae Osorius obiecit, natum: *cap. II. Doctores Christianae religionis nihil faciat? de Rom. Catholica Ecclesia pessime sentiat?* Haec noua, nec vsquam in Machiauelli libris expressa, ex illis videlicet ingratiis, per consequentiam, vt aiunt, tracta sunt. *Moysis auctoritatem & leges, vi & armis, NON FIDE AC DEO, nixas fuisse credat? Fortunae & casui felicitatem, NON VIRTVTI ET RELIGIONI VERAE, tribuat?* Manifesta in his calumnia intentatur; addidit enim iniquis etiam Gentilleti theorematis Posseuinus, quae plane abludunt a sententia Machiauelli, *de Rep. I. 12. II. 1*, eaque nos typis distinximus; controuersiam persecuti supra *cap. VI.* Porro putauit idem, tertio Machiauelli de Principe libro, quem, cum nullus sit, laudat ad oram sui iudicii & adducit egregius censor, *Nihil dici potuisse perniciosius, quam belli iustitiam IN EA, QVAM QVISQVE SIBI PVTAT ESSE NECESSITATEM, statui.* Etiam hic verba per fallaciam addita. Bellum Machiauellus iustum dixerat, quod esset necessarium. *Principi, vt omnem penitus pacis spem & desiderium praecidat, insignibus iniuriis violandos esse aduersarios. In prouinciis subactis colonias sic esse collocandas, vt veteres ablegentur incolae: quibus autem mutatio grauis sit, omnes esse subuertendos, & familias funditus tollendas. Prauis moribus esse implendam prouinciam, quam sine bello velis vlcisci. Stultum esse, si quis putet, veterum iniuriarum obliuionem induci nouis benefactis. Principi tyrannum aliquem insignem* (Caesarem Borgiam intellegit Posseuinus, nec audet nominare) *imitandum esse, temnendamque crudelitatis famam; dum in officio subditos contineat. Expedire, vt metuatur plus, quam ametur. Amicitiae haud fidendum. Si quem plectere velit, speciosum aliquid esse praetexendum. Leonis & vulpis induendum ingenium. Immanitatem vno impetu, sensim vero exercendam beneficentiam. Factiones esse alendas inter subditos; tollendos autem de medio boni publici amantes.* In his sunt aliqua, quae etiam iniquitate aduersariorum vtcunque deformata, adcusare tamen, nisi politice imperitus, non possit; sunt, quae longe aliter habitura sint, si, secundum haec Posseuini dicta, tertium Gentilleti librum, atque huius indicio vsus, singu-

ſingula quaeque loca, ex quibus illa excerpta ſunt, in Machiauelli ſcriptis, excutias; ſunt denique, quae de nouo & violento ideoque iniuſto principatu dicta, ad quemcunque trahuntur perperam. De quibus omnibus aduerſariorum peccatis ſatis actum eſt ſupra.

CAPVT X.

De Thomae Bozii in Machiauellum Scriptis, aliud agendo praeiudicatum eſſe oſtenditur.

In Thomae Bozii libris nihil nouae criminationis.

THomae Bozii libros non alio magis vitio laborare dicas, quam quod praeter expectationem, quam titulus facit, adeo non iugulant Machiauellum, vt potius iuuent eius ſententiam rationes contrariae perperam deductae. Idcirco nos ſatis ea c pera, qua argumenta commentariorum Bozii ſummatim enarrauimus, *Libro I. cap. XV*, ad iudicandam totam controuerſiam, defungi potuimus. Praeſertim, cum id ſolum egerit ille, vt repetita Oſorii & Gentilleti obiecta, multitudine exemplorum ex hiſtoriis petita, illuſtraret, fictasque potius quasdam hypotheſes, quam veras Machiauelli opiniones, nusquam ferme ipſis aduerſarii verbis excitatis, ſectaretur. Vna praefatione, quae extat ante libros de ſtatu Italiae, aliquanto preſſius impetit Machiauelli dicta, inprimis illa, quibus hiſtoriam Romanam ſtetiſſe potiſſimum ſeruato linguae Latinae inter Chriſtianos vſu, eoque neceſſario, docuit. Ait ille, profuiſſe monumentis antiquorum, quod, cum rerum potiri mutato ſtatu Chriſtiani ſuis ſacris & inſtitutis coepiſſent, abolereque, vt fieri ſolet, ſuperſtitionis vetuſtae qualiacunque veſtigia maximopere, ipſa religionis ſanctitate incitati, cuperent; antiquorum tamen linguas, & cum his litterarum ſtudia, neceſſitate quadam compulſi, fouiſſent atque tenuiſſent. Quodſi illud factu difficile non fuiſſet, & primi Chriſtianorum hanc inſiſtere viam potuiſſent, vt cum ceteris ethnicorum inſtitutis, linguam eorum delerent etiam, nouumque arceſſerent in republica noua ſermonem: ne memoriam quidem rerum Romanarum ad nos fuiſſe peruenturam. Contra ea docere copioſe inſtituit Bozius, linguam Latinam a pontificibus Romanis omni tempore diligenter fuiſſe cuſtoditam; id quod nusquam negat Machiavellus.

De abolitis antiquorum monumentis quaeſtio.

vellus. Hanc autem linguam, vt vrget Bozius, *in ſanctiſſimo crucis ligno conſecratam*, ideo cuſtodiendam fuiſſe diligentius, quod etiam *aeterno Dei decreto* ſancitum extet, *vt Latino ſermone diuina cuncta perſcriberentur*. Ex Eſaia enim, *cap. XXVIII. verſu II*, illa vulgati interpretis verba, *In loquela labii & lingua altera loquetur ad populum iſtum*, de lingua Latina, cuius vſus in rebus diuinis & interpretandis ſcripturis ſacris ibi promiſſus inueniatur, intellegi voluit. Acute ſcilicet, & mirum ſit, ni eo loco, *in loquela Latii*, ſcriptum inuenerit. Hoc tamen argumento viri etiam in reliquis ingenium & acumen coniectare poſſis. Cetera id genus crimina, quae Machiavello obiiciuntur in ea praefatione, ſunt, verbi cauſa, docere illum, Moſen etiam coactum fuiſſe, perdere plurimos mortales, qui eius imperiis reſtitiſſent; deinde Dauidis exemplo vſum eſſe, eo in loco, vbi de tyrannide conſtituenda praecepiſſet: egregia quaedam edidiſſe, de calamitatibus Italiae ſub Imperatoribus Romanorum plurimis: ceteroqui in rebus geſtis tradendis, ſecundum ea, quae cauillatur Bozius, ſubinde erraſſe. quibus adeo inique inuidioſeque inctitatis, ne verbo quidem reſpondendum eſſe putauerim. Satis enim cuique fieri nullo negotio poterit, ſi aduerſus ea, ipſa, quae ibi tanguntur, Machiauelli verba, inſpicere non dedignetur. Praeterea quidquam non inueni, quod aduerſus hanc ſectam in omnibus Thomae Bozii libris ita dicatur noue atque ſplendide, vt ex his, quae ſupra Oſorii atque Gentilleti traditis vtcunque oppoſuimus, non poſſit eleuari & infringi. Deuorauimus autem hanc neceſſariam pro veritate moleſtiam, vt potiora librorum *de Imperio virtutis, de robore bellico, de Italiae ſtatu*, capita legeremus: a totis enim talibus libris perlegendis ad eundem abhorremus modum, quam ſi in piſtrino laborandum eſſet.

Bozii argumentum ſuetile.

Alia quaedam ab illo obiecta.

CAPVT XI.

De Ioh. Molano, qui ſcripſiſſe aduerſus Machiauellum dicitur.

QVod a quibusdam Iohannes Molanus, vt qui in Machiauellum ſcripſiſſet, laudatur, non ita, opinor, intelligendum eſt, quaſi liber

Ioh. Molani in Machiau. dictum.

ber eius aduersus Machiauellum aliquis speciatim atque ex instituto compositus habeatur: verum de his, quae ille, *de fide haereticis servanda, libro I*, Thoma Bozio teste, in eam Machiauelli sententiam, qua tyrannum suum, ne fidei seruandae nimis curiosus esse velit, *de Principe cap. XVIII*, admonet, alieno iactauit loco. *Machiauellus*, inquit, *in libro, quem Thusca lingua conscripsit de Principe, in eam prorupit insaniam, vt Principem, velut Centaurum, semihominem & semibestiam esse velit.* De re ipsa diximus supra *cap. V. ad finem, & cap. VII.*

Capvt XII.

De Ribadeneirae libris adu. Machiuellum. Eius animus de tollendis haereticis & errores reprehensi.

Petri Ribadeneirae in Mach. scribentis institutum,

PEruentum iam est ad Petri Ribadeneirae de Principe Christiano libros: qui sane, quamquam eruditus ceteroqui satis, praeiudicata potius opinione aduersus eam, quam sibi fingebat, politicorum sectam, & ardentissimo haereticorum odio incitatus, scripsit; quam certo super dictis aduersariorum iudicio permotus. Adeo rara Machiauelli in toto opere mentio: rarior dictorum eius membratim instituta explicatio: nusquam iusta sententiarum disputatio. Quo tetrico animo & damnatorio Ribadeneira spiritu scripserit, ex epistola in principio libri posita statim apparet, qua Philippo, Philippi II. regis filio, principi tum iuuentutis Hispaniarum, opus illud dedicauit, eumque ad supprimendas extirpandasque haereses inflammauit. Instituti sui primum rationes, secundum exempla Etrusce scripta, in Latina enim versione illa epistola omissa est, his exponit verbis: *Questo infernal fuoco*, sectam nouorum Politicorum de ratione status intellegit, *tanto s' e acceso, e tanto le sue fiamme ha sparse in alcune prouincie fuora di Spagna, e va di maniera dilatandosi, & abbruscando il mondo, che temendo io, che alcuna fauilla non ne salti ne' nostri Regni, ho voluto prender questo trauaglio di scriuer delle virtù, che deue hauere il Principe Christiano.* Propterea, ne illo prudentiae ciuilis incendio Hispania etiam cremari posset, suasit Philippo, vt aduersus serpentem haeresin pugnaret fortiter, conquireret noxia

& animus explicatur.

Damnatorii spiritus verba adducta.

noxia capita, & ignibus ignem compesceret. Eo consilio, Ferdinandi Sancti Castiliae Regis commendat factum, qui saepius, cum haereticus aliquis viuus esset cremandus, ad palum accessisset, & sua manu igni addidisset ligna, quibus sanctissimae religioni sacrificium offerret. *Non si contentaua*, inquit, *di comandar, che fussero castigati gli heretici, ma egli stesso, quando occorreua, che se ne hauesse ad abbrusciare alcuno, vi poneua il fuoco e le legna, per fare il sacrificio.* Regium vero factum laudat vir mitis atque benignus. Deus meliora probis ciuibus summorum imperantium ingenia, nisi peccatis nostris iratus, condonabit. Satis primo miseriarum generi humano a natura datum est, ne illa poenarum immanitate & acerbitate augeri malorum ille cumulus debeat: tamen etiam nostrae hodie leges adeo tetrica seueritate circa omnia ferme delictorum genera sancitae sunt, vt non minus vere, quam olim Draconis apud Athenienses, sanguine perscriptae dici queant. Quod si pro cetera Saxonum in bonis legibus ferendis custodiendisque sapientia, ad illam etiam partem aliquando fiat respectus, erit, quod imitentur aliae quoque per Germaniam gentes. Interea legum illa seueritas, per se inexorabilis, tempestiua regum clementia mitiganda fuerit, adeo, vt, posteaquam de morte hominis deliberantibus cunctatio nulla longa fuit, in illos demum noxios poena veniat, qui ad eum modum mali sunt & perditi, vt iam nulla alia ratione, quam morte & supplicii sui exemplo, prodesse reipublicae possint. Secus si fuerit, non magis perimet ciuem suum, noxium quidem, sed aliqua tamen parte vtilem, optimi principis sententia, quam abiicere in sterquilinium solent patresfamilias instrumentum domus, vtcunque aliquando vsui futurum. Poenitenda eorum religio, qui ideo potissimum acuunt seueritatem, quod reposcere Deum a manibus mortalium supplicia, & sanguine fundendo placari numen illud, quod totum clementia est, totum bonitas, arbitrantur. Iudaeis duriora illa, si qua sunt, scripta habeantur: non ita suos instituit Christus. Ille vero nobis hac praeclarissima indole, hoc ingenio, sospitem diu praestet regem nostrum, qui hostibus terribilis, in ciues summa semper egit clementia. Si tamen aliquando suppliciis noxiorum

Ferdinandi Sancti Castiliae regis factum temere laudatum.

De clementia in genere dictum.

Virtus illa vere Regia in poenis ciuium potissimum exercenda.

rum ſancienda eſt tranquillitas publica, inuiti decernant reges, nec vlla vel oculos ſuos ſpectaculi adeo funeſti contagione laedant. Illud igitur erubeſcendum ſit potius exemplum, quam laudandum, ſi Caſtilia regem habuit, qui adire damnatum locum, audire vſtulatorum ciuium gemitus, & occupare ſuis manibus carnificum munia potuit.

Quare illud Ferdinandi S. factum minime probandum.

Tantum relligio potuit ſuadere malorum.

Excidat potius factum illud ex hiſtoriarum monumentis, quam vt a quoquam commendetur. Proinde, quo animo haec talia Machiavelli aduerſarius laudauerit, vides, atque quod in ceteris ſic animati iudicium eſſe potuerit, intellegis. Eadem enim epiſtola Philippum inflammat haereticorum odio Ribadeneira, exemplis, Ferdinandi Catholici, abaui, item aui & patris, atque irritat magis, quam docet. In praefatione deinde ad lectorem percenſet quidem aliqua Machiauelli dogmata, ſed adeo inique, vt omnia odio deformata eſſe ſentias, & quae habentur in Poſſeuini iudicio, ea potius ad verbum expreſſa, quam ex ipſis Machiauelli operibus, quas impugnaret, ſententias, iuſta diligentia congeſtas fuiſſe. *Illud*, inquit, *tanquam initium & fundamentum ponit, propoſitum & ſcopum, in quem Princeps collineet, & cetera omnia referat, ſtatus & imperii conſeruationem eſſe: eam proinde in rem adiumenta omnia, ſiue ea honeſta ſint, ſiue inhoneſta, iuſta aeque ac iniuſta, dum tamen vtilia, nullo delecto aut diſcrimine adhibere poſſe. Numerat autem inter ea ſubſidia Chriſtianam relligionem*, quae ſequuntur. Pleraque hic in principio ſtatim falſo obiiciuntur. In illo quidem nihil mali, ſi dicas Regi, vt Regi, primo loco conſeruationem regni propoſitam eſſe: at alia ſunt tenenda, vt homini, vt Chriſtiano, vt ciui bono. Iſta ſi praeceperis, haec ſane officia neglexiſſe putandus non es, tametſi tacuiſſes: aliena enim loco non ſuo dicere noluiſti. At Machiauellus ne tacuit quidem, & admonuit lectorem, ſuadere interdum regni rationes ea, quae tibi, vt homini, vt Chriſtiano, facienda nequaquam eſſent. *Sono queſti modi nimici d'ogni viuere, non ſolamente Chriſtiano, ma humano; vt extat libro I. ſermonum ad Liuium cap. X.* quod monuimus ſupra *cap. VII.* Ne igitur fraudi ſit

Arguitur in de Ribadeneirae animus,

atque in confutando Machiau. negligentia.

De ſcopo Machiauelli iniquum iudicium.

ſit Machiauello, quod haec talia tantum non ſaepius inculcarit in alieno argumento, pro illo deprecatur aequitas. Quae porro obiectat Ribadeneira, *nullo diſcrimine, honeſta inhoneſta, iuſta iniuſta, adhibenda eſſe, & religionis veritatem ſuſque deque habendam*, nusquam ita docuit ille, & vana ſunt. Declamantem etiam de eo, quod noui Politici multis nominibus deteriores eſſent reliquis haereticis, qui volet, audiat: nos deſcribendi labore ſuperſedemus. Libro primo, *de praeſtantia religionis Chriſtianae; de haereticis puniendis; quam metuendum ſit, ſacris interdici*; & id genus multa: eorum, quae ad nos pertineant, tangantque illum, quem impetit, ferme nihil. Altero libro, *de ſimulatione virtutum fugienda; de fide ſeruanda; de fortitudine Chriſtianorum*, agitur quidem aduerſus Machiavellum, ſed ita, vt vel ea affirmet, quae non negat ille, vel certe argumentis non aliis vtatur, quam quibus ante eum vſi ſunt Oſorius, Gentilletus, Bozius. Actum agerem, ſi verbo refellendum ſumſiſſem. Ceterum, ſi profligatiſſimum illud partium demas ſtudium, & condones homini opinionibus illis innutrito, inconſulta haereſium earum, quas ſibi finxerat, odia, atque feras in quibusdam imperitiam, non malus eſt liber, neque nulla doctrinae varietate commendabilis. Quam probe autem res calluerit haereticorum, cum aduerſus eos ſcriberet, vno argumento docebimus, vbi ſacrorum in Germania mutationem, ortam primum & natam eſſe ex ambitione Iohannis Friderici Saxonum Electoris, ait: quae plurimis annis ante, quam Ioh. Fridericus, nutritus prope & educatus in his ſacris, rerum potiretur, inualuerat. ** *Hic*, inquit, *vt a fide dignis accepi, miro deſiderio tenebatur familiam Auſtriacam Imperatoria dignitate ſpoliandi, quod ſenſim videretur quaſi hereditario iure poſſideri. Quod ſuum deſiderium cum vocato ad ſe Martino Luthero communicaſſet, auctor fuit Duci, Religionem vt mutaret, ſi imperium mutatum vellet. Accepto & approbato hoc conſilio, Lutherum ſibi adiunxit conceptae nequitiae aptiſſimum inſtrumentum, eiusque impiam ſectam aluit, errores fouit, fidem catholicam in ſua ditione euertit*; etiam expreſſius haec poſtrema reddidit interpres Etruſcus, *Seguendo queſto mal conſiglio, preſo il medeſimo Lutero per iſtromento della malua-*

Aliae Ribadeneirae criminationes vanae.

De libris eius iudicium.

De mutatione ſacrorum per Germaniam, de Ioh. Frid. Sax. Electore, & de Luthero dictum.

maluagità sua, e cominciò ad animarlo, e a fauorir la sua setta, & errori, & a voltar sotto sopra la Religion Catolica nel suo stato. Scilicet ea tum tempora fuerant, & is Lutherus, quocum haec potissimum consilia possent communicari. Oderint suo merito religionis caussam, qui sic norunt. Antequam abeam a Ribadeneira, ex quo mores hominis agnoscas, aliam eius adscribam memoratu dignissimam sententiam, qua *eodem capite XV. pag. 91.* hominem perditissimum, qui Henricum III. Gallorum regem cultello interfecerat, laudauit vt probum simplicem & rectum, neque verbo damnare factum illius instituit. Insignem illum locum Latine vertere Ioh. Oranus non est ausus, sed omisit totum: quo magis nos exhibebimus, vt Etrusce versus extat. *Perche il consiglio che prese* (consilium occidendorum Guisiorum fratrum intellegit) *fù de Politici e Machiauellisti, e non regolato con la legge del Signore, venne per suo giusto giudicio, a morire il medesimo Re Henrico, per mano d' vn pouero frate, giouine, semplice e piano, d' vna ferita, che li diede con vn picciol coltello, nella propria sua stanza, mentre era il Re circondato da seruitori, e da gente armata, e con vn essercito potente, col qual pensaua frà pochi giorni di spianar la città di Parigi. Hor fu mai essempio al mondo come questo? cosi nuouo, cosi strano, e per tempo alcuno da gli huomini giamai inteso?* Si quis iniquior haec legat, suspicari possit, tanquam a conscio suum laudari artificium. Sed nos melius ominamur; neque singulorum hominum vitia in totum aliquem ordinem praeiudicata opinione diffundimus.

Aliud eius de morte Henr. III. Gall. regis dictum.

** *Libro I. cap. XV. vbi exempla principum profert, qui rationem status falsam secuti, imperiis exitium peperissent p. 61. 62.*

CAPVT XIII.

De reprehensis a Conringio. item de pretio librorum Mach. si cum antiquis & nostrorum scriptis comparentur.

AD finem iam peruentum erat eorum, quibus aduersariorum omnium criminationes possent infringi: nisi ille Machiauelli acerrimus alias vindex, Hermannus Conringius, quem paullo ante contra Iouium, Gentilletum, alios egregie defenderat, deinde abiecisset

Conringii varia de Machiauello sententia.

cisset, vt ineptum prudentiae ciuilis scriptorem. Primo negat, adeo noxia esse illius scripta, quod in aliorum libris ad idem argumentum tradantur eadem, atque ait, ridiculum videri, si quis eos putet e Machiauello sapere, quicunque tyrannidem amplexentur. Postea fatetur, *lectam a Machiauello historiam fere omnis, etiam veteris aeui, & lectam non ad voluptatem, nec in vsum Grammaticum, ceu fieret plerumque, sed cum insigni ciuilis prudentiae fructu, atque adeo lectam acri iudicio politico adhibito: quod a paucissimis fieri vel soleret vel posset.* Ad extremum tamen in eadem praefatione, quae extat ante librum de Principe, *pag. 32. 33*, hunc adeo sibi laudatum a iudicio politico hominem, *in quamplurimis consiliis, non modo improba, verum etiam plane vel inepta vel noxia suasisse*, ait: *nec eum fuisse, cuius scripta praecipuum aliquem locum in scholis politicis commereantur: tantum abesse, vt digna sint aliis omnibus anteponi, vel prae aliis esse in admiratione.* De consiliis quidem Machiauelli, an sint improba, & adeo noxia, quam a multis habentur, nos ante secundum aduersariorum obiecta disputauimus: etiam Conringius multa eorum inuidia liberauit. Quod ad prudentiae laudem, & negatam librorum praestantiam, attinet, videbimus, quos ille potissimum scriptores Machiauello anteponat. Non alios ille praefert, quam antiquissimorum e Graecis aliquos, qui ferme soli eius argumenti ex antiquis scriptores extant: Platonem, Aristotelem, Xenophontem. In eorum libris omnia ferme contineri, ait, quae Machiauellus vtilia tradidisset. Immo abusum esse illum in exscribendis sententiis, Aristotelis & Xenophontis operibus, praeter Conringium, Septalius quoque accusat. Quod si verum est crimen, non magis vitio dandum fuerit, quam Virgilio loca ex Homero expressa. At nihil noui, aiunt, tradidit ille, vt carere eius libris possimus, qui recoquunt ab aliis iam dudum edita. Dabo equidem ibi haberi omnia: si tamen recentior aliquis haec eadem alio quodam modo, nouis enarrationibus, recentibusque exemplis illustriora, nostrisque rebus & his ingeniis magis conuenientia, tradere instituat, & primus sua saltem aetate probabilem

eius verbis explicata.

Defensio adversus illa Machiauelli operum.

Obiectum, non sapere Machiauellum nisi ex Aristotele, qui illa omnia rectius tradidisset.

Mach. non plane eadem scripsisse, monstratur.

bilem instauret doctrinam, inter nostros certe homines egregium tuebitur locum. Non sane multorum est, antiqua illa legere cum fructu. In iis enim monumentis, ob summam vetustatem, multa semper ignorantur: praeter linguarum ingenia, mores & instituta antiquorum, vsque ad minutias rerum vetustissimarum, sine quarum notitia intellegi eorum scripta non possunt, nisi summo singularique studio, non tenentur. Et si quis maxime illa calleat, recentibus tamen, in politicis praesertim, quae ad regnorum fere praesentes formas, easque mutabiles, referuntur, & vtetur potius, & delectabitur magis. Tradiderint igitur quamuis eadem aut meliora triumuiri illi sane magni, &, si vel minima cum iis parte Machiauellus comparetur, praeclaro ei semper honori futuri: at alio certe modo scripserunt, & his nostris suum est & peculiare pretium. Iam diuidamus sententiam. Xenophontis ad hoc argumentum pauca sunt, neque his nostris contra appendenda. Platonis de republica libros ne Conringius quidem, tanquam vnicum & idoneum satis, etiam nostris temporibus, optimae ciuitatis exemplar, commendauerit. Quod ad Aristotelem, cuius vnius amore Conringius reliquis omnibus facile caruisset, egregios esse eius politicorum libros, & nemini prudentiae ciuilis studioso insuper habendos, largior. Verum illo ipso teste mutilus est, & vbique, pro ingenio suo, adeo breuis & concisus, vt irritet potius discendi auidum, quam nutriat: exemplorum non pauca per summam rerum vetustatem incomperta & obscura: ingenium praeterea Aristotelis nimis mihi saepe ad regni amorem propendere visum, non satis aequum populari imperio. Persuasum ideo semper fuit cordatioribus, si cuius e Romanis scriptoribus de republica libri ad nos durassent, eius, prae Graecis illis, palmam futuram. Illi a teneris ad vitam ciuilem & magistratus instituti, in praeclara republica, inter summa quaeque exempla, & maxima prudentiae documenta, versati, huius praesertim artis peritiam consequebantur. Adeo, vt non verum minus sit, quam magnificum, testimonium illud Maronis:

Quae desideranda sint in illis antiquis: in Xenophonte, in Platone, in Aristotele.

Romanorum de republica libri votis expetiti.

Excu-

Excudent alii spirantia mollius aera
Credo equidem: viuos ducent de marmore vultus:
Orabunt causas melius: coelique meatus
Describent radio, & surgentia sidera dicent:
Tu regere imperiis populos, Romane, memento.

Quare, vt quisque e Romana re publica, eorumque rebus gestis & institutis, bonas etiam artes intellegat, atque euoluat explicetque, quibus illa rerum magnitudo quaesita fuit, non falsam ille prudentiae ciuilis viam inuenisse putandus est. Hanc autem viam cum institerit Machiauellus, & libris cultiore seculo publicatis, eam laudem, post instauratas litteras, praeclaro ingenio, & summa eloquentia, occupauerit, quod sciam, primus; extare in illius scriptis politicas rationes ab Aristotelicis saepe diuersas, & fortassis vtiliores, necesse est: neque caussa est, cur spernas hominem, ad hanc artem tradendam, multorum iudicio, plane a natura factum. Adeo enim perdidicit, meo arbitrio, & imbibit prudentiae illius Romanae imaginem, vt meliorem interpretem ingeniorum eius populi ad euentus ciuiles, atque ad artem politicam, non facile inuenias. Nec sunt magnopere audienda, quae Conringius in animadversionibus ad librum de Principe, circa minimas quasque sententias, inique saepius, quam acute, commentatus est: neque adeo inepta eius consilia, vt supra de quoque suo loco vidimus, illius opera notata fuerunt. Iam si missis antiquorum libris, nostrorum hominum plerorumque scripta eiusdem argumenti, cum Machiavellicis de republica, componas, vix habebis, quem possis anteferre, vllum. Quam rem ego vero iudicio prudentum relinquo integram, atque arbitrium, quod inuidiae aliquid habiturum est, subterfugio. Nihilominus dissimulare nunquam potui, ne me quidem in ea esse opinione, quasi Machiauellus vnus & solus in nostrorum temporum scriptoribus de republica legendus, nullisque erroribus in ea ipsa arte obnoxius habendus esset: sed id tantum agimus, ne scripta maximam partem, pro sortis humanae modulo, proba, & vtilia, iisque prudentiae praeceptis instructa, quae

Quo argumento potissimum aestimanda sint Machiauelli scripta politica.

In politicis nostrorum temporum primum ferme locum obtinere Machiauellum.

non

non facile alias ita tradita inuenias, cum ea non quidem vmbratica ſcholarum ſapientia, ſolaue librorum lectione, verum cogitatione multa, longoque rerum vſu conſtiterint, negligenda tibi temere & abiicienda videantur.

Capvt XIIII.

De Iouii, Varchii, Guicciardini & Germanorum quorundam teſtimoniis, ad vitam & mores Mach. ſpectantibus.

Hiſtoricorum in Mach. dicta.

De Iouio paſſim actum.

De iis rebus, quibus Machiauelli ſecta impugnatur, hactenus egimus: reſtant excutienda, quae in vitam eius & mores, hiſtoricorum teſtimoniis, iactitata fuerunt. Pauli Iouii fidem dubiam hac parte fecit, non ſpernendis rationibus, Conringii diligentia: nos etiam ſupra docuimus paſſim, eius de Machiauello dicta vix per ſe ipſa, nedum inſpectis certioribus rerum argumentis, conſiſtere in plerisque poſſe: vt adeo de Iouio praeiudicatum ſit. Verum vrget alius, neque ille tamen ſat grauis auctor, nullaque eleuandus exceptione, Benedictus Varchius. Hic enim vt contrariarum ſemper, aduerſus illum antiquae reipublicae vindicem, partium, atque obnoxius Mediceorum alumnus, neque ad vrbem fuit adoleſcens, & florentem Machiauellum nullo modo, ſenem autem vix vnquam tum, cum ipſe eſſet puer admodum, vidiſſe potuit. Ideo de moribus eius & vita, niſi aliorum fide, teſtimonium dicere Varchio non licuit: atque, cum inimicis illius familiariter vteretur, ſuoque ingenio moroſus eſſet ac durus, ita dixit, vt iniquum fuiſſe, neque mireris, & agnoſcas. In eo ſaltem liuor ſcribentis manifeſtus eſt, quod Machiauellum non indoctum, potius quam doctum, fuiſſe ait: *che più toſto non ſenza lettere che letterato chiamare ſe poteſſe.* Nihilominus ea ipſa, quae damnat in Machiauello, vaga ſunt, & nullo argumento docenda, veluti, *mores eius grauitate caruiſſe & ſimplicitate: liberae hominis voces & dicacitas; vita minus decora & dignitati munerum non ſatis conveniens:* & ſi qua ſunt his ſimilia, qualia in nullum non virum, quantumuis bonum, ab inuidis facile & impune iactari poſſunt; praeſertim ſi fortuna deſtituerit: contra, quas Varchio etiam emergentis veri violentia exprimit, ſummae laudes habentur: velvti, *Machiauellum potius cum antiquis ſcriptoribus comparandum videri, quam anteponendum noſtris hominibus:* praeterea *ciuilem, humanum, promtum amicis, coniunctiſſimum viris fortibus & bonis, ciuilium rerum ſuae aetatis longe prudentiſſimum*, denique dignum fuiſſe, qui aut indolem minus claram, aut mentem a natura meliorem eſſet ſortitus. Qualia, ſi vel inimici de eo tradiderunt, quanto eum in honore aliquando apud omnes fuiſſe putemus? Scilicet, rara virtutis conſeneſcentis fortuna comes eſt. Prudenter & acute de alio quodam ciue ſuo Machiauellus, in decennali altero:

Varchii hac parte fides dubia.

quod ex ipſius verbis colligitur.

Laudes Machiauello tributae in Varchii libris.

Et hor negletto e vilipeſo giace
Nelle ſue caſe, pouer, vecchio e cieco;
Tanto à Fortuna chi ben fa diſpiace.

Vellem equidem Franciſcum Guicciardinum amici ſui & familiaris copioſam mentionem hiſtoriarum libris inſeruiſſe, vt habeamus, cui prae ceteris fides haberi poſſit. Honorifico tamen ille loco nomen Machiauelli extare voluit, *libro octauo pag. 226.* vbi memorat legatum illum patriae, Piſanis obſeſſis, pacis aequiſſimas conditiones Plumbinum tuliſſe, atque in eas conceſſum eſſe ſumma Florentinorum fide, qui magno animo, quamuis atrocibus iniuriis irritati, non iniquam ſocietatem iis, quos in ſeruitute tenere oppreſſos poſſent, reſtituiſſent. Cuius rei ſi nullam partem cedere Machiauelli, ad id negotium legati, laudibus velis, inuidus ſis, opinor. Tamen ille rem modeſte narrat, nulla ſui mentione, *decennali altero;* quem locum ſupplendis rerum geſtarum monumentis non inutilem, & candoris Machiauellici teſtem, adduxiſſe hic licuerit.

Franc. Guicciardini honorificum de Mach. teſtimonium.

Dunque ſendo rimaſa Piſa ſola,

Subitamente quella circondaste,
Non vi lassando entrar se non chi vola:
E quatro mese intorno vi posaste
Con gran disagi, e con assai fatica,
E con assai dispendio l' affamaste,
E benche fusse ostinata nimica,
Pur da necessità costretta e vinta
Tornò piangendo alla catena antica.

Locuples Germanorum quorundam testimonium.

Certe Teucrides Annaeus Priuatus, Ad. Loniceri filius, homo Germanus saltem, & candidus, ac procul remotus a partium studiis, oculatorum testium fide, in elogio Machiauelli, *quod extat Boissardi iconum Parte III*, memorat, *suo etiam tempore fuisse superstites viros bonos, graues & fide dignos, qui, cum Machiauelli notitiam in Italia familiariter habuerint, de eo ingenue testimonium perhibere non vererentur, quod fuerit vir stupendae eruditionis & prudentiae, quin vitae integerrimae, morumque innocentia insigni, & pietate summa.* Quod locupletissimum quidem testimonium, siue Teucridi a senioribus ita traditum est, scripsit autem ille post annum cIoIoLXXXX; siue e schedis Boissardi exceptum, maioris ponderis esse debet, quam quae Itali illi inique sentientes in contrarium iactitauerunt. Post illos Iacobus Gaddius existimationi eius in quibusdam vindex extitit, *opere suo, de scriptoribus non ecclesiasticis.* Testimonio eius, ad confutandos aduersarios, ante nos vsus est Conringius: vt possimus his acquiescere.

Etiam Iac. Gaddii aequitas.

CAPVT XV.

Rumusculi quidam aduersus Mach. eleuati.

Vana in Machiauellum sine auctore dicteria.

TRansactum iam fuerat de tota controuersia, nisi etiam vanioribus reprehensis, quae sine auctore, quantum scio, extiterunt, Machiauellus impietatis e ridiculis quibusdam & inanibus iocis argueretur. Vnius quidem aliquod vestigium extat in comoedia Machiauelli: alia eius in res sacras scommata, tanquam ex ore viri excepta, sine teste idoneo feruntur. Tribuerat ille in comoedia, quae

Iocus e comoedia im-

Clitia vocatur, *actu III. scena VI.* Nicomacho seni, seruum suum Pyrrhum vt persisteret in incoepto, hortanti, hoc inter alia dictum,

petitus,

NIC. *Ch' importa a te? Sta ben con Christo & fatti beffe de' santi.*
PIR. *Si, ma se voi morissi, e santi mi tratterebbono assai male.*

Sensus est, verbis fortasse ex plebeio Tuscorum prouerbio desumtis, *Qui Christum propitium habeat, eum minores diuos, quos sanctos vulgo appellant, facile posse parui pendere.* Hoc vero illi impie & sceleste dictum esse clamant: at quo modo, mirum sit. Aut enim ipsam damnant sententiam vt profanam, qui tot venerantur praeter Christum diuos, Romani Pontificis legibus addicti: aut licentiam & dicacitatem tantum cum reliquis aspernantur in eo, quod Christi sanctissimum nomen, & id genus procaciores allusiones, inferri in scenam non oporteat. Illos certe abundare suo sensu patiemur, & veniam tantum scenae, quae semper libera, homini item in iocos alias procliui, in quibus nulla mentis deliberata cogitatio, nullum consilium, sed sola ferme inconsulta petulantia dominari solet, rogabimus. Hi autem, neque adeo damnabunt dicti liberius effusi sensum, & condonabunt Machiauello, si rigidas nouasque scenae leges, quae ne hodie quidem satis sunt constitutae, illis temporibus ignorauit, & si putauit, sibi licere hos paene eosdem, quos Plautus apud Romanos ausus fuerat, in scenam introducere sales. Hic enim, quem memorauimus, iocus, vt ferme tota comoedia Clitia, e Plauti Casina mutuo sumtus est. Ibi ad eundem plane modum, *actu II. scena III*, Stalino senex ait ad Olympionem villicum,

& quodammodo defensus,

Plauti praesertim auctoritate.

Quid id refert tua?
Vnus tibi hic dum propitius sit Iuppiter,
Tu istos minutos diuos flocci feceris.
OL. *Nugae sunt istae magnae: quasi tu nescias,*
Repente vt emoriantur humani Ioues.
Sed tandem, si tu Iuppiter sis mortuus,
Quum ad deos minores redierit regnum tuum,
Quis mihi subueniet tergo, aut capiti, aut cruribus.

Nugas

Nugas illas, quas aliqui egerunt, quasi Machiauellus sacrificulo, vnguenta ex sacrorum consuetudine offerenti, moriturus dixerit: *Ocreas quidem vngendas iter facturo;* atque alii, *Malle se magnorum virorum in infernis, quam fraterculorum in coelo consuetudinem:* siue plane falsas putabis & mendaces, siue certe vanis rumoribus auctas & deformatas, siue ita dictas, vt vel superstitioni soli, meliora doctus a Sauonarola, illuserit, vel licenter dixerit magis, quam ex animo. Si tamen adhuc concoquere illam iocandi licentiam, quantumuis vanam & sine dubio falsam, non potes, illud, quod non satis pium videtur dictum, alio rependam sane religioso. Quo enim facilius intellegas, quam vere Machiauellus Deum fandi atque nefandi memorem crediderit, pioque coluerit metu, legas velim tempestatem ab eo descriptam, *Florentinae historiae libro VI. ad annum a C.N.* CIↃCCCCLVI, *pag. num. 236. 237.* eam autem hoc finit epiphonemate: *Volle senza dubbio Dio più tosto minacciare che castigare la Toscana; perche se tanta tempestà fusse intrata in vna città fra le case e gli habitatori assai & spessi, come la entrò fra querce & arbori, e case poche e rare, senza dubbio faceua quella rovina e flagello, che si può con la mente conietturar maggiore. Ma Dio volle per all' hora che bastasse questo poco d' essempio a rinfrescar fra gli huomini la memoria della potenza sua.* Vix potuit religiosius, si inter ipsa sacra dictum fuisset. Legas item Sermonum ad Liuium *libro I. Caput X. principio, & cap. XI.* vbi tradit vix fieri posse, vt non statim corruat ciuitas, quam non contineat summi numinis metus & religio. Ex his igitur omnibus ita apud animum constitues, quicunque haec legis aequo iudicio, non talem esse Machiauellum, qualis vulgo putatur. At qui vir tandem sit, si secundum ea, quae diximus, planissime, atque ad vnguem, quod aiunt, nosse velis, scripta eius, praesertim de republica, & historiarum libros, consules: e quibus nos praeterea pauca quaedam, ad constituendam eius sectam, tertio libro, in medium adducemus.

Pietas & religio Mach. alio eius dicto probatur.

Conclusio dictorum.

FINIS LIBRI SECVNDI

IOH.

IOH. FRID. CHRISTII

DE

NICOLAO MACHIAVELLO

LIBER TERTIVS

IVDICIVM